


TM 1057

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann



Theodor Mahlmann
24. Januar 1997

In ruiniertem Zustand
gekauft vom Antiquar
John Wilcoxon (Marburg)

Die fehlenden oder be-
schädigten Blätter nach-
gedruckt von Hans
Steiß (Marburg)

Restauriert von Hans-
Dieter Lomp (Dresden)

*

Zu dem Buchlein
(zwei Erstausgaben;
ein Nachdruck)

Caspar Olevianus (1536 bis 1587)
... Köln 1989, Seite 328

Auf dem Rückentitel der
Nachdruck 1581 nicht genannt!

Mit eigenhändiger Widmung
des Galatobriefes von
Paul Crocius

des Philippo- und Kocob-
briefes von Caspar Olevianus
vom 11. August 1580

an Andreas Norius,
offensichtlich erster
Besitzer dieses Bandes.
Von ihm dürften die
Kapitel- und Versangaben
am Kopf der Seiten des
Romerbriefkommentars
stammen, die er vermisste

I N

EPISTOLAM

D. PAULI APOST.

ad Galatas notæ, ex concionibus Gasparis Oleuiani excerptæ, & à Theodoro Beza editæ.

Cum præfatione eiusdem Beza.



GENEVÆ,

APVD EVSTATH. VIGNON.

M. D. LXXXI.

*Ornatiss. Viro, Pa. Andree Nonio amico suo carissimo ad Paulus Crocius Cyencus, pridie 8
Nonas Iunij Anno salutis LXXXI.*

EPISTOLAM

D. PAULI APOST.

ad Galatas notae, ex concilio

tribus Galbaris Orliviani ex-

cerptae, & a Theodoro Beza

editae.


Curae praefatione mensurae Bezae

addita.

Amst. 1578 in Cap. XV.

3. Druck 1581

Bibli. N. 7. 1. 2



APUD ERSTATH. UINGOR.

M. D. LXXII

Handwritten notes at the bottom of the page, including the year 1578 and other illegible text.





T H E O D O R V S B E Z A

Gaspari Oleuiano, fratri ac symmystæ
obseruando gratiã & pacẽ à Domino.

H *T S I* iustis aliorum doctissimorũ vi-
rorũ commentariis ista inter Paulinas
ceteras illustris Epistola sic est diligẽ-
ter & accuratè explicata, vt vix vllus
in ea locus supersit cuius difficultas le-
ctorem meritò remoretur: tuas tamen in eam notas na-
ctus, dignas putavi quæ in publicum ederẽtur. V ideo
enim eam breuitatem esse te in iis sequutũ in qua non
possit perspicuitas desiderari: & præterquã quòd sco-
pum attingis in ipsius sententiæ explicatione, vsum es
se eo delectu ac iudicio in cõmunibus, quos nostri vo-
cant, obseruandis locis, vt nihil accersueris quod pro-
cul à scopo quenquam abducat, nec facitè quidquam
non suo loco annotaris. Tuam igitur breuitatem ego
quidem non modò non reprehendo, sed etiam cõmen-
datione dignam arbitror, iis etiã, vt spero, magno ad-
iumento futurã, qui in aliorum copiosioribus scriptis,
vt in alto pelago versantes, hanc veluti Cynosuram
habebunt, ad quam lectionis cursum dirigant: quod si
esset à nonnullis tum in veterum tum in recentio-
rum Theologorum legendis scriptis obseruatum, non
tam sepe seipsos & alios nimium multos in tam peri-
culosos errorum atque adeò blasphemiarum scopulos
precipites dedissent. Fortassis etiam non sunt desutu-

*.j.

ri, qui nihil à te dictum clamitent quod aliunde pe-
ti non possit: quibus illud saltē vetus respondero, Δις
ἔς Ἰπὶς τὰ κελὰ. Pudnerit enim nos profecto, quum ve-
ritatis hostes κοκώζωv assidue non desinat, eadem ve-
ra non inculcare. Et in hac Epistola non modo preci-
puum, illud nostrae religionis caput de gratuita nostri
in Christo per unam fidem apprehenso iustificatione,
diuinissime explicatur sed etiam magis perspicue quā
usquam alibi exponitur quid utrunque foedus inter
se commune habeat, tum qua ratione unum ab alte-
ro differat, & qua in re vetus sit à nouo antiquatum.
qua tanti momenti cōtrouersia ut constare nisi iis ex-
plicatis Christiana religio non possit, Ecclesiā adhuc
quāuis dissimlatis nominibus, exercēt. Deinde, qua-
so, qua nobis hic tela ad iugulandū illū Antichristum
suppeditantur, qui Petri primatū e mentitus, sese in tē-
plo Dei supra omne numen venditat? Illustris etiā est
locus de allegoriarum usu, quibus abutentes nonnulli
Scripturam uniuersam omnium ludibriis exposuerunt.
Duo igitur abs te peto, mi frater. V num ut quod sum
ausus in hac scriptiuncula tua, non improbes: alterum,
ut quod facere nos decet, Dei nostri virtute armatos
ea ipsa occasione arrepta paulo maioris otij, quod tibi
nunc cōcessum est, & quidē eorū ipsorū importunitate
qui Principū bonitate abutuntur, ad eiusmodi medi-
tanda te totū conferas. Sic fiet ut nihil illi minus obti-
neant quā quod conantur, & Paulum ipsum imita-
tus videare, cuius etiam vinculis plura penē quā lib-
berrati debemus. Bene vale, mi frater. D. Iesus te fa-
miliāque tuam conseruet, & Ecclesiarum dispersio-
nis hospitibus quā cumulatissimē benedicat. Ge-
neuae, XV II. Februarij, anno vltimi temporis
M. D. LXXVIII.



I

NOTAE IN EPISTO-
lam Pauli Apostoli ad Gala-
tas, è concionibus Gaspari O-
leuiani excerptæ.

Summa Epistole est, ut doceat, Quæ sit illa
iustitia qua consistere possumus coram Deo,
scilicet non Legis, sed Euangelij.

Maxima ferè quæstio est in toto mundo, Quæ sit
vera iustitia, quæ à peccatis liberet. Occasionem scri-
bendi dedere falsi Apostoli: ideo initio Epistole duo-
bus primis capitibus suam vocationem tuetur.

CAPVT I.

Paulus Apostolus (non ab ho-
minibus, neque per hominẽ,
sed per Iesum Christum, ac
Deum Patrem qui suscitauit
eum ex mortuis)

2 Quique mecum sunt omnes fratres,
Ecclesiis Galatia,

3 Gratia vobis & pax à Deo Patre, &
Domino nostro Iesu Christo,

A. j.

4 *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos ex presenti seculo malo, secundum voluntatem Dei & patris nostri.*

5 *Cui sit gloria in secula seculorū. Amen.*

(Paulus Apostolus.) Cū Deus miserit hunc legatum, vult suam vocem audiri per Paulum.

(Non ab hominibus.) Duplex est vocatio: immediata, ut Pauli è caelo, sicut hīc ait: *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum.* vbi etiam præclarum testimonium Deitatis Christi obseruandum est. Altera est mediata, cū per Ecclesiam, eiusque ministros Dominus vocat ad ministeriū, quos donis necessariis instruxit, ad Titū I. vers. 5. si eatenus audiēdi, quatenus manent in doctrina Prophetica & Apostolica.

Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.) Summam Euangelii de quo docendi erant Galatæ in ipsa salutatione proponit. Quæ sit nostra iustitia coram Deo, nimirum, quod Christus dederit semetipsum pro nostra iniustitia.

Secundum voluntatem Dei & patris nostri.) Opponit meritis. Cur nos eripit? non quod meriti, sed ex gratia. Consolatio. Quod Euangelium nobis infallibile testimonium est, Deum non solum creatorem nostrum esse, sed & patrem Ioan. 20.

6 *Miror vos ita citò, deserto eo qui vocarat vos in gratiam Christi, transferri in aliud Euangelium.*

7 *Quod non est aliud: sed nonnulli vos turbant*

bant, & volunt inuertere Euangeliū Christi.

Summa est, Paulus docuerat Euangelium, Sola fide in Christum nos iustificari, siue remissionem peccatorum accipere: pseudoapostoli admiscebant circumcisionem & merita operum. Leuitatem Galatarum reprehendit, quòd à veritate Euangelij tam citò alienati fuerint.

Obseruandum, quoties meritum siue ex Sacramentis siue aliis operibus, fidei admiscetur, esse aliud Euangelium, non Christi, imò euerisionem Euangelij ex ipsis fundamentis.

Applicemus hanc doctrinam ad nostra tempora. Paulus pugnat pro hac principali propositione Euangelii, Sola fiducia in Christum iustificamur (siue absoluihur à peccatis) non circumcisione.

Eandem propositionem hodie oppugnat Satan, sed alio colore. Nam oppugnat hanc æquipollentem: Sola fide, (id est, fiducia, quòd pro nobis traditus sit in mortem, eique vniamur) accipimus Christum, qui est nostra iustitia. Addit enim Satan ore Christum accipi. Ex effectū consilium Satanæ videamus: An non remissionem peccatorum multi quærunt inclusam hostiæ? Et quid mirum, si ore iustitiam, remissionemue peccatorum velint accipere, cū Christum ore se accipere sint edocti? Sed articuli fidei longè aliud te docent, & D. Paulus ad Romanos 4. ver. 10. II. ex professo commentum illud oppugnat. Ergo hoc aliud est Euangelium, & inuersio Euangelii Christi. Cogita iam quanto periculo te exponas. Quòd si autem vera & constans manet

A. ij.

cælestis illa doctrina Pauli, Sola fide nos iustificari, necessariò etiam vera & constans manebit hæc, Sola fide Christũ à nobis recipi: qui est nostra iustitia, ad Rom. 4. Adhæc dum ait, mirari se, obserua, quàm naturâ simus fragiles, inconstantes & leues. Exempla videamus. Dum Moses expectat, cõflant vitulum: Aaron etiam leuis & mollis est. Christo acclamãt, Hosianna filio Dauid, paulò post cum viderent, Dominos Sacerdotes & Seniores populi Christum persequi, clamabant, Crucifige. Item, Sanguis eius super nos. In summa si cum vanitate appendatur homo, ipsa vanitate erit vanior: & si vel minima crux veniret ad nos, multi dubitarent de veritate Euãgelij: præcipuè hypocritæ expectãt occasionem deficiendi: & quilibet ex iis vult videri propheta. In 2. ad Thes. 2. cap. docetur, plerosque amorem veritatis non habere vt salui fiant, ideo Dominum mittere efficaciam erroris. Ergo cum mundus velit decipi, veniente cruce, Prophetas se fuisse affirmant, & dicunt: Annon bene dixi, fore vt res non succedant? fore vt qui doctrinam hæc cõfitentur, omnino non ferãtur? Annon euenit? Quid verò euenit? Annon hoc ipsum, quod Christus prædixit, Putabunt se cultum præstare Deo, cum vos occident: Omnibus exosi eritis propter nomen meum? Inter cætera prædicit Christus, Multi deficient à veritate. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, saluus erit. Si non euenirent, quæ Christus prædixit, tum dubitandum esset de Euangelio.

8 *Sed etiamsi nos, aut Angelus è celo euangelizet*

gelizet vobis, prater id, quod vobis euangelizauimus, anathema esto.

Videamus quæ sit summa Euangelij, & quâta eius certitudo.

Summam Euangelii comprehendit Apostolus I. Cor. 15. Porrò vobis declaro, fratres, Euangelium, quod euangelizauimus vobis, quod & accepistis, in quo etiã statis, per quod etiam, si retinetis quo sermone vobis euangelizauerim, seruiamini, nisi frustra credidistis. Tradidi enim vobis imprimis, quod & acceperam, Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris, secundum Scripturas, & sepultum fuisse, & excitatum tertio die, secundum Scripturas, & visum fuisse Cephæ, &c.

Sic summam comprehendit ad Rom. 1. & 4. quòd Filius Dei promissus, secundum carnem ex femine Davidis ortus, traditus sit pro peccatis nostris, & excitatus propter iustificationem nostri. Cõtinuat eandem iustitiam, cõparendo ad dexteram Patris pro nobis, ad Rom. 8. Heb. 9. & inde expectatur in nostram salutem, prout idem Apostolus summam Euangelii sui breuiter comprehendit. I. Thess. 1. Scientes fratres dilecti, vos esse à Deo electos, quoniam Euangelium nostrum constitit apud vos, non in loquutione duntaxat, sed etiam virtute, cum in Spiritu sancto, tum in persuasionem certa multa, sicut nostis, quales fuerimus inter vos, vestra causa. Et vos imitatores nostri facti fuistis & Domini, recepto sermone cum oppressione multa, cum gaudio Spiritus sancti, adeo vt fueritis exēplaria omnibus

A. iij.

credentibus in Macedonia & Achaia. A vobis enim non solum personavit sermo Domini in Macedonia & Achaia, verum etiam in omni loco fides vestra, quæ est in Deum, dimanavit, ut necesse non habeamus quicquam loqui. Siquidem ipsi de nobis annuntiant, qualem ingressum habuerimus ad vos, & quomodo conuersi fueritis ad Deum relictis idolis, ut seruiretis Deo viuo & vero, & expectaretis filium eius è cælis, quem excitauit à mortuis Iesum qui liberat nos ab ira illa ventura.

Ex his videmus quæ sit summa Euangelij siue læti illius nuntij, quem Deus promiserat in Scripturis, nimirum, omnia electorum peccata Iesu Christo, (qui est æterni Patris Filius, & secundum carnem ex semine Davidis) fuisse imposita. Isa. 53. moriendo pro iis satisfecisse: resurgendo iustitiam & vitam in lucem protulisse, ita ut ne vnus quidem ex omnium electorum siue credentium peccatis manserit reliquum, continuari ab ipso hanc iustitiam ascensione in cælum, sanctuarium illud *ἀρχιπροπόιντον*, & ad dexteram Patris comparando pro nobis, obsignare etiã eum promissionem iustitiæ gratuita cordibus nostris Spiritu sancto per quem electos instaurat ad sui imaginem, indeque expectari eum ipsum Iesum, qui nos liberat ab ira illa ventura. Hic vides non aliud esse Euangelium, quàm quod est articulis fidei comprehensum. Contra aliud est Euangelium, articulis fidei cõtrarium, de quo Christus præmonuit, ut caueamus. Matth. 24. Tum si quis dixerit: Ecce hic est Christus, aut hic: ne credite. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetae, &

ta, & edent signa magna & miracula: ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos. Ecce prædixi vobis. Itaque si dixerint vobis, Ecce in deserto est, ne egredimini, Ecce in conclauius: ne credite. Cùm Christus dicat: ne credite, aliud igitur Euangelium est, non Euangelium Christi: non Euangelium quod prædicatum est per Apostolos. Hodie à multis dicitur: Ecce hîc est Christus corporaliter, Ecce ibi est: Ecce vbique est caro Christi. Quàm longè hoc abest ab eo quod Paulus de Euangelio suo ait, Ut expectaretis Filium eius è cælis, Iesum, qui liberat ab ira illa ventura. Quàm longè abest ab Euangelio ipsius Christi ore prolato, qui ait: Ne credite. Et eadem rationem quam Apostolus ab ipso didicit, subiungit, Sicut enim fulgur exit ex Oriente & apparet vsque in Occidentem: ita etiam erit aduentus Filii hominis. Non est quod hîc quisquam suam simplicitatem aut ruditatem obtendat, fatis monitus es à Christo, non potes errare, si articulis fidei insistas. Sacramenta non sunt aliud Euangelium, sed sunt verba visibilia, ut D. Augustinus ea nominat, quæ idem docent & confirmant, quod verbum Euangelii. Quod enim audis in Euangelio, Christum mortuû esse pro peccatis nostris, quæ ei fuerant imposita, & resurrexisse ad nostri iustificationem, ut ne vnum quidem manserit reliquum, continuarique illam iustitiam dum eodem corpore in quo in æternum peccata nostra aboleuit: comparet ad dexteram Patris, indeque misso Spiritu sancto obsignat promissionem remissionis peccatorû cordibus, eaque instaurat ad Dei imaginem: id

A. iij.

omne in Sacramentis tanquam visibilibus verbis velut oculis cernis. In pane Eucharistico representante corpus Christi, in mortem traditū, velut oculis cernis corpus Christi pro te esse fractum, peccata tua in ipso esse abolita, resurrexisse liberum à tuis peccatis, idem coram Patre pro te apparere, in quo peccata tua expiata sunt in æternum, teque ei vniri per Spiritum sanctum: atque ita tibi æternum cibū esse, Nō enim instituta sunt Sacramēta, vt opera illa purgent à peccatis: alioquin Christus frustra mortuus esset, sed vt sint testimonia & sigilla illius iustitiæ, quam fides in sola morte Christi possidet. Rom. 4.

Hac doctrina opus est, Quia multi deficient. Et Christus ait: An putas Filium hominis fidem reperturum in terra? Nunc ergo de certitudine dicamus.

Si ego aut Angelus de celo, &c.

Tam immutabilis est veritas Euangelij quod in articulis fidei comprehensum est, vt vel ego Paulus, vel Angelus maledictus sit, si aliud Euāgelium annuntiet. q. d. Nolite curare doctas disputationes aut vllum respectum personarū, aut hominum authoritatem. Nam articuli fidei, siue Euangelium est supra Angelos in celo. Causa certitudinis est immutabilis veritas Dei. *Es muss ein fest wort sein.* Cælum & terra transibunt, verba mea non transibunt. Item, Quàm lōgè cælum à terra, tam procul meæ cogitationes à vestris.

Sic: Si vel Angelus ad Euam venisset, vocaturus in dubium verbum Domini, maledictus ei esse debuisset.

9 *Vt antè diximus, etiam nunc iterum dico, si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema esto.*

Solent homines cogitare, nimis amplificari ista, aut iracundia quadam dici. Ideo Paulus repetit generaliter: Si quis aliud Euāgelium. Idem facit capite 5. de ebrietate, De quibus prædixi & adhuc prædico, & c. Summa doctrinæ est: Fidem tuam tam firmum habere fundamentum, scilicet immutabilem Dei veritatem, qua promittit in Euangelio remissionem peccatorum gratis, vt impossibile sit vlli creaturæ eā cōcutere. Causa certitudinis est immutabilis veritas Dei, quæ tam est certa, vt maledicta sit omnis creatura, quæ in dubium Euangelium vocare aut mutare volet.

Primùm enim Deus ipse, qui est supra Angelos & omnes creaturas, primus Euangelium in Paradiso protulit: Semen mulieris conculcabit caput serpentis.

Par igitur est ratio. Quemadmodum Eua ante lapsum, si vel Angelus de cælo dixisset, Non moriemini, pro maledicto eum habere debuisset: ita & post lapsum, ne rursus decipiamur, (vbi Deus promittit, nos qui credimus, morte non morituros æterna, idque propter mortem Filij) totum genus humanum pro maledicto habere debet eum, qui Euangelium hoc in dubium vocare audet.

Qui credit in me, non gustabit mortem in æternum. Item, Hęc est voluntas Patris, vt omnis, qui videt Filium & credit in eum, habeat vitā

æternam. Ergo Euangelij promissio de remissione peccatorum est certa, imò certissima.

Et sanè Angeli, cùm nihil magis desiderent, quàm gloriam Filij Dei, nō agrè ferunt, si Paulus dicat, maledictum esse debere, si vel Angelus è cælo aliud Euangelium annuntiet, quia, vt ad Philip. 2. dicitur, Angeli & omnes superi & in terra & sub terra debent flectere genua Christo.

Si Filius verbis tantùm promitteret, tamē nefas esset dubitare. Atqui re ipsa, non verbis peccata nostra in se recipit, patitur, resurgit.

10 *Nunc enim utrùm homines an Deū suadeo?*

Duas rationes adfert è quibus Euangelij certitudo constet. 1. Quòd vero zelo gloriæ Dei docuerit, non in gratiam hominū mundanorū.

2. Quòd Euangelium non ab hominibus, sed à Deo acceperit.

De primo argumento ait: *Si enim hominibus placere vellem, Christi seruus non essem.*

Primò, cur ait, Se Christi seruum non fore, si hominibus placere vellet. Quia natura homines pleni sūt rebellionem contra Deum. Deinde velent Deum se conformare ipsorum cupiditatibus. Etiara pij id desiderāt, & subinde ministros sibi gratificari volunt. Ergo cùm pugnent appetitus hominum cum Deo, minister Deum abnegat, si adulatur hominibus. Contra cùm non adulatur, sed officium facit, est seruus Christi, & Christus re ipsa ei testatam faciet suam præsentiam. R. e ipsa sentiet & experientia eum docebit quàm

quàm vera sit hæc promissio, Ego vobiscum sũ omnibus diebus vsque ad cõsummationem seculi. Item, Ego vos posui, vt fructum feratis, & vt fructus vester maneat.

Secundò, Auditores sciant sibi vtile esse, vt nõ gratificentur ipsis, vt egrotus singulis momētis vellet aquam: sed qui adstant nolunt ei gratificari, quia eum perderent.

II Notum autem vobis facio, fratres Euangelium prædicatum à me, non esse secundum hominem.

Alterum argumētum firmissimum: cur Euāgelio à se prædicato certa habenda fides, scilicet, Quia non ab hominibus, sed à Deo sit profectũ: quòd illud ipsum sit, quod Christus suo sanguine confirmarit, quòdque ab ipso Christo è cœlo per reuelationem didicerint.

Prima obseruatio. Vt fides nostra sit certa, & eiusmodi quæ mundum superet, opus est, vt sciamus, non hominum, sed ipsius Christi esse promissionem siue verbum: quia de hoc nobis præceptũ cœlitus, Hunc audite. Matth. tertio & decimo septimo, Si igitur conscientiam te accusantẽ audis, multò magis hunc Christum audi: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c. Non est mirum Euangelij certitudinem ita ab Apostolo inculcari, quia pleni dubitationum sumus, & ipsa lex quæ nos oppugnat nobis insita est: & citius decem sententię ex Lege occurrent conscientię afflictæ, quàm vna firma consolatio ex Euāgelio. Hunc igitur Filium audite. Is missus est, vt contritos corde sanet. Deinde nota te-

stimonium Diuinitatis Christi, cum ait, Nō esse secundum hominem, & c.

12 *Neque enim ego ab homine id accepi, neque edoctus sum, sed patefaciente mihi Iesu Christo.*

13 *Audistis enim quomodo versatus sim olim in Iudaismo, me videlicet summē persecutum esse Ecclesiam Dei, & eam vastasse:*

14 *Et profecisse in Iudaismo super multos aequales meos in genere meo, quum vehemētiore studio tenerer traditionū quas à patribus meis acceperam.*

Probat ex historia cōuersionis suæ, se à Christo per reuelationem Euangelium accepisse. historia extat, Acto. 9. & 26. Cælestis virtus immediatē à Christo ibi apparet. Etsi enim ab Anania baptizatur, & significatur ei quid debeat facere: tamen Euangelium iam antē à Christo acceperat. 1. Apparet autem cælestis virtus eo ipso quòd qui persequebatur, conuertitur ita vt prædicet. Deinde, qui zelo propriæ iustitiæ feruebat, iam pro stercorebus eam habet. Tanta tamque subita non hominum, sed Christi virtute & voce facta sunt.

1 Observanda ingenua confessio Pauli, vt semetipsum abieget & Christo det gloriam. Ita etiam veri ministri semetipsos, suos honores abnegent, vt Christus glorificetur.

2 Observatio. Iustitiam suam legis pro abominatione habet: ad Philip. 3. pro stercorebus ducit quæ antea magni æstimauerat. Et tamē exter-

nè videt

nè videbantur bona opera secūdam Legem, sed dum in ijs fiduciam collocat, stercorea sunt. Et sanè ideo vel maximè doctrina Iustificationis gratuita nobis certa esse debet, vt verissima, quia omnem laudem iustitiæ detrahit homini, & solam Christi extollit, vt is glorificetur. Nam si cogitemus, quàm sit periculosum suæ iustitiæ aliquid tribuere, dicemus solam Christi iustitiam, veram iustitiam esse. Luc. 16. Quicquid est altum coram hominibus, abominatio est coram Deo.

15 *Sed quando placuit Deo, qui separauit me ab utero matris meæ & vocauit per gratiã suam,*

16 *Retegere Filiũ suum in me vt euangelizare ipsam inter Gentes, non statim cõtulicam carne & sanguine, &c.*

Antequam nati, nihil potuimus mereri. Semper aliquid nobis arrogamus. Duplex gratia: 1. Quòd regioni toti Euāgelium suum largitur, quia sic ei placet. 2. Quòd gratiam addit, vt tu credas, hæc est singularis gratia. Ergo quòd ad claritatem Euangelij peruenimus, in quo nostra fœlicitas posita est, sibi met causa fuit, vt ad Ephesios I. docuimus. Non solùm autem ab utero, sed antequam cælum esset aut terra.

Sic in quacunque sis vocatione, à ventre matris Deus te ad eam destinauit. Etsi enim ad Rēpublicam & Ecclesiam eligantur viri qui dotibus polleant, tamen quacunque quis habeat dexteritatem, sciat Deum prius in utero matris

ipsum designasse. Et dona quę habet, Deus in eo posuit ad exequendum suum consilium. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? vt alibi ait Apostolus. Itaque nemo semetipsum format sua industria, vt aptus sit minime functioni. Applicatio. Qui melius ingenium habet, ne putet à semetipso se id habere. Talentum est quod accepisti. Nam quī fit quòd non es sine intellectu, quemadmodum vides multos eo priuatos? Deinde cū ad ætatem peruenimus, opus est, vt Deus nos impellat: offert occasiones &c. Proverb. 8. Filius Dei inquit. Penes me est consilium & sapientia &c. per me reges regnant.

Ergo nil nobis tribuamus glorię sed Deo fõti. Si minimam gratiam etiam in politicis oportet à Deo accipi, quum ad agnitionem Euangelij vocati, cū que ita vniti sumus Christo, vt certi simus vitę æternę, sanè hoc vnus Christi opus esse necesse est. Exempla & testimonia Scripturę videamus. Iosph (Gen. 37 & 45.) an non ab vtero destinatus, vt parentibus & fratribus succurreret? Venditio, Mercatores Ægyptij, omnia videntur fortuita: Tamen Deus misit me, inquit ante vos. Deinde Moses ex aquis extrahitur, vt populi fiat dux, & à Rege enūtritur, Exodi 2.

Sic multos alit Antichristus, qui destiuati sūt ab vtero matris, vt eum oppugnent scriptis. Dauid Psal. 22. Super te proiectus sum ab vtero, de ventre matris meę Deus meus es tu Psalmo 139.

Isa. 44. 45. & 49. Nominavi te cū adhuc esses in vtero, &c.

Jerem. 1. Noueram te antequam pararem te
in vtero

in vtero matris.

Sic Luc. 1. Ioannes ab vtero destinatur præ-
cursor Christo.

Fructus huius doctrine.

1. Patientia in aduersis, vt Dauid Psal. 22. Su-
per te proiectus sum.

2. Gratitude & humilitas in donis Dei.
Deus est à quo habes omnia. Quid miserius in-
fante in vtero? quid merebaris?

3. In posterum adsit fiducia cum inuoca-
tione, & inanis cura absit. Ah quid fiet de filio!

1. Intuere promissionem in millesimam ge-
nerationem & fac tu officium hominis fidelis &
boni patris.

2. Scito Deum ab vtero matris ad certam
vocationem etiam sobolem tuam designasse.

Christus ait, Hodiernus dies contentus sit sua
molestia. Pro infante ancillæ Agar curam gerit
Dominus.

In Iona sollicitus est Dominus de infantibus
Niniuitarum:

Vtinam & pro nostris, ne Turca sub suum iu-
gum eos redigat, aut saltē eos seruet in fide: nec
vnquam Spiritus sancti cōsolatio eos destituat,
idque propter nomen sanctum suum, Ezech. 9.

Tremunt quidem subinde sancti, sed inuoca-
to Deo confirmantur in fide, & ipsius paternam
curam re ipsa experiuntur. Veniat nobis in men-
tem quod Dominus per Zachariam ait 2. capit.

Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Maxi-
ma cura pro oculis, tenerrimus enim est sensus.

Psal. 55. iacta super Dominum curā tuam & ipse

te enutriet, nec semper patietur fluctuari iustū. Sareptanæ mulieri præcepit Deus, vt Eliæ victū subministraret. Itaque Act. 3. claudus sanatus in-
tuetur Deum, eique gratias agit. Hic ad Galat. 1. Glorificabant in me Deum.

Doctrina infallibilis. Quemadmodum impos-
sibile fuit Herodi & Pontio pilato vt ulterius in
affligendo Christo progredierentur, quàm ma-
nus & consilium Dei decreuerat. Act. 4. ita & in
membris impossibile, vt hic in exemplo Pauli
videmus.

Ratio consequentiæ ex 8. ad Romanos: Quia
vtraque afflictio tam capitis quàm membrorū
in æterno Dei consilio fundata est.

Adhæc si diabolus & Chaldæi, antequam ve-
nisset Christus, nihil potuerunt præter Dei mā-
datum. Si ante passionem ait: Venisti nos perde-
re ante tempus. Si in tota passione non plus po-
tuit diabolus & Pharisei, quàm consilium Dei
decreuerat: quantò magis nunc videndum nobis
est, postquam regnat ad dexteram Patris omni-
potentis, vbi frater noster est qui nos vocat se-
metipsum? Saul quid me persequeris? durū erit
tibi &c. Et tandem in ipsius præpotenti conuer-
sione glorificatur. Itaque intra limites mandati
Christi continere se Satan cum omni sua cater-
na cogitur. Christus verò ex ipsis faucibus Sata-
næ nouit suos eripere.

16 Non cõtuli cū carne & sanguine &c.

17 Neque redij Ierosolymã ad eos qui an-
te me fuerant Apostoli: sed abij in Arabiam,
ac denuo reuersus sum Damascum &c.

Sensus

Sensus est, se rectè intuitum esse mandatum Dei de docendo Euangelio sibi è cælo patefacto, ideóque nullius hominis, ne Apostolorum quidem, consilio vsum esse, ne cælestè vocationem immediatè factam humanis consiliis videretur subiicere. Homines etsi animam habent immortalem, tamen respectu Dei caro & sanguis vocantur, quò humiliantur. caro enim est putredini & vermibus obnoxia.

I obser. Cùm constat de voluntate Dei, diligenter ad executionem pergendum.

Der viel fragt, der gelt viel ier.

Vide Ierem. 9. Isa. 40. Omnis caro scenū. Caro vult Deum subiicere suis consiliis vt Psal. 2. Super Iehouah deliberāt Reges & c. acsi Iehoua puer esset aut homo.

Abraham non confert cum carne oblaturus filiū, sed mane surgit, ad os Domini interrogandum, postea diligenter exequendum. Vnde hodie tanta superbia, tantus contemptus veritatis Euangelij, nisi quia ignorant, quòd caro sint, id est, mera corruptio & putredo?

Ierem. 17. Maledictus qui confidit in homine, & carnem ponit brachium suum.

Den zukunfftigen trost vvirt er nicht sehen.

Deut. 29. Væ homini qui secundum voluntatem cordis sui viuit.

Applic. Atqui hodie totus mundus ferè in carnis fiducia viuit.

Ergo dum audimus nos esse carnem, primò humiliemur, & ne fidamus nobis ipsis.

Applicemus hæc ad vsum.

Os Domini interrogandum est, & cùm constat

B. j.

de eius voluntate ex verbo scripto, res mandanda est executioni, euentus ipsi committendus. Contrà, nos priùs, quàm os Domini consulamus & ipsius verbum, quærimus, Quid tibi & carni tuæ & sanguini videtur?

In persecutione consultabitis fortasse cū amicis: ij consulent, vt miserearis liberorum, parentum, vxoris, vt igitur abneges veritatem Dei & maneat. periculosa consultatio. Nam in ea

Streitet ewiges leben vndt die hell miteinander.

Et sanè est nefaria Dei tentatio. Nefas enim est Deum subiicere humanis consiliis. Longè aliter Christus docet Luc. 9. Qui semel manum ad aratrum posuit, & respicit retro, & consultat cum carne & sanguine, non est aptus ad regnum Dei.

Quemadmodum enim qui aratrum tenens retro respicit, non potest rectè arare: ita & ij, qui amicos, vxorem, domum perpendunt.

Aliter Danielis socij. Non consultant inter se de abnegatione: Scito Rex nos deos tuos non adoratuos, Dan. 3.

Aliter Cyprianus, qui iudici offerèri spatium ad deliberandum respondit: De re tam sancta non est deliberandum: nefas & scelus esse ducebat deliberare an perstandum sibi esset in veritate cælesti. Fidamus igitur abnegatis nobis.

20 *In ijs porrò quæ scribo vobis, ecce corā Deo non mentior.*

21 *Deinde veni in Regiones Syria & Cilicia.*

Iura-

Iuramento confirmat quod dixit, propter hypocritas & pseudoapostolos. Obser. Quando iurandum: Non nisi in rebus grauibus ad Dei gloriam, & proximi salutem defendendam.

Tum est cultus Dei, quia honorem defert Deo, quod veritatis sit defensor. Isa. 48. Populus Noui testamenti per nomen meum iurabit.

Hebr. 6. Finem Dei iurantem intueamur. Ad Heb. 6. ob rem maximam iurat, scilicet Abrahæ promissam hæreditatem iuramento confirmat. Per Ezechielem rem maximam, remissionem peccatorum iurat. Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.

22 *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Iudæ: quæ erant in Christo.*

Non quærebat Paulus propriam gloriam, ideo facile ferebat, quod cognitus non esset.

23 *Sed solùm audierant, quod dicerent, qui persequebatur nos aliquando, nunc annuntiat fidem quam olim vastabat.*

24 *Et glorificabant Deum de me.*

Obser. Vbicunque apparent dona Dei, glorificare debemus Deum. Et oremus Dominum vt viginti talèta pro vno det suis seruis. Christus ipse ait: Messis copiosa, operarij pauci, orate dominum messis, vt extrudat operarios in messem suam.

CAPVT II.

I **D** *Einde interiectis annis quatuordecim, rursus ascendi Hierosoly-*
B. ij.

nam, unà cum Barnaba, assumpto simul & Tito.

2 Ascendi autem ex reuelatione, & exposui eis Euangelium, quod prædico inter gentes: sed priuatim cū eis qui sunt in pretio, ne quo modo frustra currerem aut cucurrissem.

3 Sed neque Titus qui mecum erat, quum esset Græcus, coactus fuit circumcidi.

4 Nempe propter emissarios falsos fratres qui irrepserant ad explorandam libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu ut nos in seruitutem adigerent.

Scopus profectiois Pauli, ut conseruaretur ipsius opus Euangelij & apud infirmos & apud posteros: ita & nos operam demus, ut ædificium firmum sit ad posteritatem.

Simile est ab iis qui currūt ad brauia. Nō quòd minister frustra laboret etiā si totus mūdus reclamet. Nam Euāgelium semper suū fructū habet, quem Deus vult ut proferat in singulis cōcionibus. Quibusdā cedit in salutem, aliis in testimonium, propria ipsorum malitia.

Matth. 24. Euangelium prædicabitur in toto mundo in testimonium ipsis.

Itaque minister semper non frustra laborat. Sic 2. Cor. 2. Aliis odor mortis in mortē, & c. Et Chrysostronus ait, Qui seminat, interdum ob frigus nil metit, & perdit laborem. Ac minister, siue crescat siue non crescat, accipiet mercedem laborum suorum.

Cur

Cur igitur ait, Ne frustra cucurrissem? cùm nō eum fructum quem sperabant, percipiunt: aut cùm opus non conseruatur ad posteros, videtur magna pars laborum quodammo perire.

s Quibus ne ad momentum quidem cessimus per subiectionem, ut veritas Euangelij permaneret apud vos.

1. Videamus an cedere possimus à veritate Euangelij.

2. Si non cedere licet, an veritas cum mendacio possit misceri, vt medium inueniatur. De 1. an cedere possimus à veritate. Respondeo. A veritate nunquam. At in rebus indifferentibus possumus cedere, dummodo non iam aut in posterum præiudicium fiat veritati. Tum enim desinunt esse indifferentes. 1. Probatio. Hic Paulus ait, Ne ad horam quidem cessimus, præsentia & futura prospexit mala. Nam & hodie Turcæ circumcisionem habent, & plures circumcisi quàm baptizati.

Reliquiæ illæ sunt pseudoapostolorum.

Deinde Christus, Cælum & terra transibunt, verba mea non transibunt.

Vnus apex veritatis diuinæ præstantior machina orbis: quo compensabimus illum apicem si omitteremus?

Item in Baptismo: Docentes eos seruare omnia quæ præcepi vobis, Omnia ait.

Applicemus hæc ad vsum. Paulus ait, Ne ad horam quidem cessimus. cur? quia remissionem peccatorum in circumcisionis Sacramento ponebant.

B. iij.

Sic hodie vellēne vt te mendacium doceremus? Vulgus in pane Cœnæ remissionem peccatorum credit se accipere quia corpus sit in pane. Contrà, sola fide in passionem Christi remissio peccatorum accipitur. Corpus in cælo manet, articuli fidei id testatur. Spiritus sanctus in commemoratione Eucharistica mortis Domini te facit participem Christi. Non miscenda veritas cum mendacio. Hylarius ait: Suaue nomen pacis, modò in Deo fundata sit.

Dissimile. Quidam volunt, credendum esse ab vtraque parte: sicut in rebus humanis fit, quò transactio fiat.

Non ita est in Dei rebus. *Mir haben nicht macht im etwas zu begeben.*

Matth. 15. Dimittite eos, cæci sunt duces cæcorum. Et paulò post, Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, Dimitte ait. Ergo repudiandæ seu missæ faciendæ tenebræ, non miscendæ cum luce. Vt aqua & ignis misceri nequeunt, sic veritas & mendacium, nisi velimus cum Deo pugnare & euertere ordinem diuinitus constitutū, atque veritatem Dei corrumpere. Paulus, Quid luci cum tenebris?

Elias, Quidiu claudicabitis in vtrumque latus? Si Baal Deus: ipsi Baali seruite. Si Deus Israelis est Deus, ipsi totos vos addicite.

Sic, Si papatus bonus, totum serua. Si est regnum Antichristi, quid in papatu claudicas?

Vt veritas Euangelij apud vos maneret.) Diximus noluisse Paulum vel ad vnam horam cedere: nunc addit, vt veritas Euangelii consistere

ret

ret. Necessè est rem pretiosissimam esse Euangelii veritatem, cum Satan tot modis obscurare eam conetur.

Obser. Quotiescūque remissio peccatorum, vel Sacramentis, vel aliis operibus adscribitur, non manet veritas Euangelii. Ergo si veritas non manet, mendacium introducitur. Omne autem mendacium à diabolo est, & saluare non potest. Exempli causa.

Conferamus pseudoapostolos cum Papatu. Si quis pseudoapostolos interrogasset, annon haberent Euangelii veritatem: respondissent, ita. Attamen Paulus negat eos veritatem Euangelii habere, vtcunque nomen Euāgelii habeāt, quia remissionem peccatorum, quæ in sola morte Christi consistit, quærebant in circuncisione & sub circuncisione & aliis operibus.

Sic & in papatu dicunt: Tamen & nos Euangelium prædicamus. Respondeo, At cum in operibus Sacramentorum aliisque meritis remissionem peccatorum ponatis, Paulus negat vos veritatem Euangelii habere.

Sic de Missa dicunt, Tamen in missa legitur Euangelium, & multa bona, sed cum sit sacrificium propitiatorium pro defunctis, est abnegatio passionis Christi & Euangelii.

Simile. Vt si quis venenum instar pisi in lebetem optimis carnibus refertum imponat, omnes cibi inficiuntur: ita & in Missa.

A minore. Nam si Paulus veritatem Euangelij manere negat, vbi non tanta est idololatria, quantò minus in Missa siue papatu vbi panis pro Deo adoratur, Sancti inuocantur, passio Christi

B.iiiij

abnegatur, manet veritas Euangelij?

6 *Ab ijs autem qui putantur esse aliquid, qualescunque fuerint, nihil mihi discrepat, personam hominis Deus non accipit. Nam qui sunt in pretio, nihil mecum præterea contulerunt.*

Pseudoapostoli obtendebant reliquos Apostolos fuisse Christi discipulos, Paulum fuisse velut foetum immaturum. Respondet primò, Deum non intueri personas. Secundò respondet, bene sibi cum Apostolis conuenire, & nihil se ab iis didicisse.

7 *Imò econtrario, quum vidissent mihi concreditum fuisse Euāgelium præputij, sicut Petro circumcisionis.*

1. Obseruat: Ministri cogitent, quanta res ipsis sit concredita, Nuntius salutis. i. Petri i. Angeli gaudent introspicere hoc nuntium.

2. Populus cogitet, cui Deus dedit Euangelium, quantus thesaurus ei sit concreditus. Cogitemus quàm horrendum sit, quòd Christus prædixit: Væ tibi Chorazim, Væ tibi Bethsaida. nã si in Sodoma & Gomorrha facta essent ea, in cinere egissent pœnitentiam.

Item auferetur à vobis regnum siue Euangelium, & dabitur populo facienti fructum eius.

8 *Nam qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatam circumcisionis, efficax fuit etiã per me erga Gentes.*

9 *Quumque cognouissent gratiam mihi datam Iacobus & Cephas & Iohannes, qui putantur*

putantur esse columna, dextras dederunt mihi ac Barnabæ societatis, ut nos inter Gentes, ipsi verò inter circumcisos, Apostolatu fungeremur.

Videmus Deum esse efficacem per ministerium. Iohan. 15. Omnem palmitem, qui fert fructum, purgat, ut plus fructus adferat.

Ergo nō perdis tempus audiendo Euāgelio, sed Deus te mundat, fidem augendo & cor in nouando. Ego vos posui, ut fructum feratis & ut fructus vester maneat. Iohan. 17. Non solū pro his oro, sed etiam pro iis, qui per sermonem eorum credituri sunt in me. Vltimum vale Christi, Ego sum vobiscum vsque ad seculi consummationem, id est, efficax ero mea præsentia & potentia, ut hīc explicat Paulus.

10 Solū monuerunt ut pauperum meminissimus: quod & ipsum studui facere.

Diabolus è memoria tollit curam pauperum; Observatio. Vltimum vale horum Apostolorum fuit pauperum cura. *Vvas ein herlicher abscheidt der gesandten, nit eynes Churfursten, sonder des Koniges aller konigen.* Caritas annonæ erat.

11 Quum autem venisset Petrus Antiochiam, in os ei restiti, eò quòd condemnandus esset.

12 Nam antequam venisset quidam à Iacobo, unà cum Gentibus edebat: quum autem venisset, subduxit sese ac separavit ab eis, metuens eos qui erant ex Circuncisione.

13 Ac simulabant unà cum eo reliqui e-

tiam Iudæi. Itaque etiam Barnabas simul abreptus fuit in illorum simulationem.

Scopus est, vt ex narratione disputationis cū Petro tractare incipiat, Nos sola fide iustificari.

1. Qua in re peccat Petrus? Quòd cibos Iudæis prohibitos quidem antea edisset cum Ethnicis, at verò cū Iudæi venissent, vitabat Gentium confortium. Qua simulatione conscientia Gentium grauabantur, quòd salui esse non possent, nisi seruarent Legem.

2. Reprehensio Pauli est, Tu Iudæus es, cui Lex lata est, & tamen libertate Christiana vsus edisti cum Gentibus. Ergo Gentibus suam libertatem relinque, nec coege eas sub Legem vt circuncidantur.

1. Obseruatio. Si hoc Petro euenit, quid nobis euenire potest? Oremus, Ne nos inducas in tentationem, Ne studeamus placere hominibus, vel ne ita metuamus offensionem aliorum, vt veritas periclitetur.

Petrus videtur bona intentione fecisse, ne quæ offenderet, sed periclitabatur veritas.

2. Obseruatio. Etsi duorum Apostolorum disputatio procul dubio scandala dedit, tamen non sunt curanda scandala minora, cū maximum scandalum est præ foribus, nimirum oppressio Veritatis.

3. Obseruatio. Finis. Ne quicquam esset in sacris Literis, quod nõ esset æterna Dei veritas, ideo Deus Paulum misit, qui vacillantem Petrū reprehenderet.

4. Obseruatio. Coram omnibus.

Priuata peccata priuatim corrigenda. Matth.

18. Si quid habuerit frater, &c.

At publica publicè. Vt hîc coram omnibus. Sic 1. Tim. 5. de Senioribus, quorum exemplum multos offendit, coram omnibus redargue, vt cæteri timorem habeant. Finis sit, ne si impunitum sit, exemplo noceat.

14 *Sed cùm vidissem eos non recto pede incedere, vt veritati Euangelij congruebat, dixi Petro coram omnibus, Si tu cùm sis Iudæus, Gentiliter viuis, ac non Iudaicè, cur Gentes cogis Iudaizare?*

15 *Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores;*

16 *Scientes non iustificari hominem ex operibus Legis, sed per fidem Iesu Christi: & iam nos inquam in Christum Iesum credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis: propterea quòd non iustificabitur ex operibus Legis vlla caro.*

Pergit cum Petro colloqui Paulus: Iustificari hominem sola fide ab ipsorummet Apostolorum conscientia & facto. Si nos, quibus data est Lex, non possumus ea iustificari, sed fide in Christum: Ergo multò magis Gentes docendæ, quòd non Lege, sed fide in Christum iustificentur. Testimonio Scripturæ confirmat sensum hunc conscientia, de quo dixerat, Scientes non iustificari hominem ex operibus Legis. Psal. 143. Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine: nã non iustificabitur in conspectu tuo vlla caro.

Quomodo intelligendum, Nos natura Iudæi,

non peccatores ex Gentibus. Non quòd in peccatis non essent geniti: (Nam Dauid, qui etiam ex Abrahamâ ortus fuerat, Psal. 51. in peccatis se genitum & conceptum ait) sed tegebatur peccatû gratia benedictionis. Et quia benedictionē hæreditariam, naturalem vocat. Ideo pueri, qui antequam circumciderentur, moriebantur, scilicet ante octauum diem, salui erant virtute promissionis, Ero Deus tuus & seminis tui, quæ in Christo fundata erat.

Applicatio.) Sic Christiani parentes se consolari possunt, Filij mei non sunt ex Gentibus peccatores, sed naturâ, id est, nati Christiani. Non quòd non concepti in peccato, sed tectum peccatum satisfactione Christi. Ideo I. Cor. 7. Sancti dicuntur Christianorum liberi, etiam ex vno parente fidei geniti. Ergo Baptismus non facit ex Ethnico Christianum: sed promissionem, quæ iam antè ad infantem pertinet, obsignat. Nam nullius Turcæ filium licet baptizare, quia promissio ad ipsius patrem non pertinet. Ideo que liberi fidelium ante Baptismum iustificati sunt per Christum vi promissionis.

17 *Quòd si, dum quærimus iustificari per Christum, reperimur & ipsi peccatores, nû Christus peccati minister est? absit.*

Continuat ratiocinationem à conscientia Apostolorum rectè iudicante, & facto inde subsequuto: Apostolos nimirum probè sibi conscios ex Scriptura de Legis impotentia quoad vim iustificandi, non modò erga Gentes, verùm etiam erga Iudæos, qui non ex Gentibus erant peccatores

res

res, siue palàm profani, sed legaliter sancti, & à profanis in Dei populum segregati: quòd nimirum ex operibus Legis nò iustificetur vlla caro: à Lege transierunt ad Christum, vt fide in eum iustificarentur. Hæc de cōscientia recta & facto Apostolorum. Iam addit hypothēsī euertētem per absurdum contradictionis prius factum ex sanæ conscientiæ iudicio profectū. Quòd si, inquit, quærentes iustificari in Christo, reperimur & ipsi, quanuis Christo insiti, peccatores, id est, quibus adhuc imputatur peccatum. Ergo Christus iam non iustificaret à peccato, sed peccati minister esset, quod est absurdissimum. Atqui reperiremur peccatores, & quidem maledicti, si Lex adhuc nos sibi obligatos teneret, in eaque iustitiam, id est, liberationē à peccato quæreremus. Ergo Christus esset peccati & mortis minister, quemadmodum Lex: vtpote qui peccati tantum conuinceret, peccatum non tolleret: sententiam mortis ferret, mortē nò auferret, Hoc autē absurdum est, & à proprio Apostolorum facto alienum. Absurdum igitur id ex quo hoc ipsum consequebatur, quòd nimirum quærentes iustificari per Christum censeantur adhuc peccatores: idēque iustitia indigeant, quam in Lege de nouo quærant.

Si enim quæ destruxi (semetipso pro sua prudentia & modestia proposito in exemplum) ea rursum ædifico, *καὶ ἰδοὺ ἔτι κτίζω* & *ἀποστατῶν*, apostatam siue transfugam, & præuaricatorem in ipsū constituo, siue factō hoc meo declaro.

Atqui si docerem homines operibus Legis iustificari, ædificarem ea quæ antea destruxi, de-

struendo nimirum Scripturæ machina Legis iustitiam, ut me aliósq; ad Christum adducerem in ipso iustificandos. Ergo meomet facto apostatam me constituerem qui iniultè, deserta Legge, ad Christum transissem: & qui rursus, deserto Christo, cui fidem dedi, ad Legem redeam.

19 Ego enim per Legem Legi mortuus sum, ut Deo viuerem.

20 Vnà cum Christo crucifixus sū. uiuo autem, non amplius ego, sed uiuit in me Christus: & vitam quam nunc uiuo in carne, uiuo per fidem Filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Loco assumptionis probationem eius ponit ex causa efficiente duplici, & quòd Lex ipsa cū adegerit, ut Legi moreretur: & *κοινωνία* adeptus cum Christo per fidem, cum eo sit crucifixus, itaque mors crucis Christi ei imputata à Legis obligatione qua maledictio cum cōstrictum tenebat, liberarit, Christoque vendicarit ut ipse in Paulo gratis iustificato uiuat. Dicit igitur se, qui fuerit veluti vxor *τῷ νόμῳ* tāquam mariti, ita fuisse exceptum à marito illo, ut eius rigore & maledictione ipse mortuus fuerit, corrupta nimirum sua natura, rigorem Legis summè iustum & sanctum non modò non ferēte, sed etiam ipsius maledictiones in dies audiente atque sentiente mortuus sit Legi, desperaritque de omni Legis iustitia. Deinde quòd non modò sensu illius rigoris & maledictionis Legi velut mortuus sit, causa interim vera mortis, corrupta nimirum natura, in semetipso inhærenre: addit se etiam cum
Christo

Christo mortuum, siue cum eo crucifixum esse, ut obligatione prioris mariti, qui potestatem habebat maledicendi per Christi mortem, sibi cum eo communem in cruce maledictionis Symbolo sublata atque rescissa, optimo iure ad alterum maritum Christum transierit, ut ipsi viueret: non tamen ipse viueret, sed Christo fide vnitus, eum ut maritum in se habeat viuentem, ac vitam suam sibi communicantem, quæ manat ex gratuito illo dilectionis Christi iustificationisque per traditionem suimetipsius fonte: siue qui in hunc finem Ecclesiam dilexit, & semetipsum tradidit pro ea, ut adiungeret eam sibi sponsam, ad Ephes. 5. & ad Rom. 7. ut essemus non Legis veluti prioris mariti, cui mortificati sumus in corpore Christi, sed alterius, eius videlicet qui ex mortuis excitatus est ut fructum feramus Deo. Doctrina admodum similis ei, quam proponit initio capituli 7. ad Rom. Hoc tantum interest, quod hic in id magis insistit, ut doceat nos à priore marito, scilicet Lege eiusque maledictione, tanquam ab ipso met ad mortem adactos, & nunc in *κοινωνία* cum Christo crucifixo translatos prorsus esse liberos nec ad Legis iustitiam sine manifesta apostasia redire posse: contentos igitur esse debere vno Christo, qui ex dilectione gratuita traditioneque suimetipsius gratis nos fide iustificarit, sibi que adiunxerit tanquam sponsam, ut per fidem in nobis viuat.

Hic necessario aliquid dicendum erat de vita sibi cum Christo communi, quia antea se mortuum fuisse dixerat Legi, idque per Legem, ita tamen ut maximè insistat in iustitiam fidei, in eamque desinat, ut videre est versu penultimo

& ultimo. In cap. autem 7. ad Rom. de fructibus utriusque coniugij ex professo tractat.

21 *Non abrogo gratiam Dei: nam si per Legem est iustitia, igitur Christus sine causa mortuus est.*

Opponit superiori cōsequenti absurdo cōclusionem negantem, Absit à me tanta tāmque absurda impietas: in quam necesse est omnes eos incidere, qui per Legem iustificari volunt, ut apostatæ fiant à Christo, ipsiusque mortem inanē reddant, quantum in ipsis est. Non abrogo, inquit, gratiam Dei. Nam si per Legem est iustitia: ergo Christus frustra mortuus est.

Per Legem mortuus sum Legi.) Lex ipsa cogit nos sibi mori, & fiduciam in opera prorsus abicere, aucto nimirum peccato & sensu maledictionis quem Lex infligit. Ad Rom. 7. id declarat. 1. Quòd Lex per se sancta sit, sed quia nos corrupti, fit ut Legis inhibitione irritetur peccatum, & irritatum occidat.

2 Deinde Lex ait, Maledictus qui non māserit in omnibus. Atqui hoc vnum est, Non concupisces. Ergo qui concupiscit est maledictus. Sic & generavit in me omnem concupiscētiam: & præterea infligendo maledictionem me adigit, ut legi morerer, & in Christo iustitiam, & liberationem à maledictione quærerem.

Vt Deo viuerem.)

Ideo occidit nos Lex, id est, sensu peccati & iræ Dei afficit, atque ita omnem fiduciam sui, siue in opera enecat, ut ad Christum deducti in ipso iustificati viuamus.

Crucifixus

Crucifixus sum cum Christo.)

2. Cor. 6. Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui.

Magna consolatio. Nos crucifixos cum Christo, ac si ipsi maledictioni Legis satisfecissemus.

Viuo non ego, sed viuit in me Christus.)

Dupliciter in nobis viuit Christus. 1. Dum Spiritu sancto regit nostras actiones. 2. imputando nobis gratuitam iustitiam, cum qua pax & vita coniuncta est. Rom. 8.

Qui dilexit me, & semetipsum tradidit pro me.)

Hoc quidē de se sigillatim dicit Paulus, quia se vnū in exemplum *ἀποστασίας* à Christo proposuerat, si per Legem nos iustificari doceret: opponit igitur in eadem, hoc est, sua persona consolationem fidelibus omnibus communem.

Fidei natura interim exprimitur, vt non tantū pro aliis, sed quisque pro se mortuum sciat Christum. Suum corpus pro meo, suam animam pro mea tradidit. Cogita te esse illam ouiculam, quam relictis nonaginta nouem, quærit Christus in deserto.

Et quidem nō propter robur magnitudinēue fidei te ab eō seruari, (à magnitudine enim fidei ouis perdita longè abest) sed ex gratuita merâque dilectione. Qui dilexit me, inquit, &c. cōsidera dictum Christi apud Ioannem 3. de serpēte æneo, & de semetipso pro nobis tradito atq; exaltato: Intuentes serpentem æneum sanabantur, non propter robur visus (nam & iis qui imbecilli erant visu, vti fit vt non omnes eadē sint acie, obtingebat sanatio) sed quia Deus etiā imbecili visu intuentibus sanationem promiserat:

C. j.

quoniam igitur Deus sic constituerat, sequitur certa sanatio. Sic etiam tibi intuēti Christum in cruce, nō propter robur seu firmam aciem fidei, sed propter Christū fidei etiā nutāti, sanationē, id est, iustitiam & vitā promisit, ut porrò videre est, Matth. 5. Beati qui esuriūt & sitiunt iustitiam, quia saturabuntur. Item, Beati qui lugent, (lugent autem pij imprimis imbecillitatem suæ fidei) quoniam ipsi consolationem accipient. Verè etiam hi pauperes sunt spiritu: quia non modò omni propria operum iustitia sunt vacui, sed in ipso etiam fidei dono imbecillitatem suam agnoscunt, hoc est, quàm multum sit admixtum diffidentia carnis. Id quod agnoscebat pater ille Marci. 9. Credo, inquit, Domine, sed opem incredulitati meæ. Hæc paupercula fides à Christo non reiicitur. Quinimo beatos pauperes spiritu pronuntiat, quoniam ipsorum sit regnum cælorum. Contrà abominationem esse, ait corā Deo, quicquid altum est coram hominibus, etiam coram oculis nostris. Vide Luc. 1. vers. 53.

Qui dilexit me.) Finis salutis, Dilectio Christi erga miserrimos peccatores. 1. Iohann. 4. Non quòd nos prius eum dilexerimus, sed quòd ipse prior dilexit nos.

Dilexit me & tradidit semetipsum.) Magnitudinem huius pretij cōsidera: Christus Deus & homo precium pro peccatis tuis. Is per quem cælū & terra & Angeli creati sunt, is, inquam, est precium pro peccatis tuis, Colos. 1. Ergo etiam iustitia quam tibi acquirit & donat, maior est omnium Angelorum iustitia. Semetipsum, inquam, tradidit, scilicet in mortem, non substituit alium.
Ergo

Ergo ne tu aliū etiā substituas in hora tētationis
 2. Considera quanta sit ira Dei & quā de-
 testetur peccata, quod nō potuerint expiari, quā
 tanto interposito reconciliationis precio, quod
 dignitate sua superat cælū & terram, Ergo quod
 per Esa. I. cap. promittitur, Si peccata vestra fue-
 rint tanquam coccynū, veluti nix albescent, &c.
 id sacrificio Christi debemus.

Pro me.) Quomodo ad me peruenit ista gra-
 tia? Respondeo, Quotidie tibi offertur per Euan-
 gelium 2. Cor. 5. Legatione fungimur, Deo vos
 obsecrāte per nos, reconciliamini Deo. Summa
 bonitas. Non satis fuit Christo seipsum offerre,
 sed etiam orat, vt recipiamus & agnoscamus il-
 lam gratiam.

Non abijcio Dei gratiam.) Sensus est, Si in ope-
 ribus salutem quærerem, abijcerem gratiā Chri-
 sti. Summa est. Omnes eos abijcere & conspuere
 gratiam Christi, qui in operibus iustitiam quæ-
 runt. Nemo vult is videri qui gratiam abiiciat,
 interim pars maxima mundi abiicit.

Quomodo, inquis, faciam, vt non abiiciā gra-
 tiam Christi? Cogitare & sentire debes, te ne
 guttam iustitiæ & vitæ æternæ ex propriis viri-
 bus habere. Vacuus propria iustitia, sitias Chri-
 sti iustitiam. In quo & abnegatio est iustitiæ pro-
 priæ, & sitis Christi iustitiæ, is non abiicit gratiā.
 Matth. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam,
 quia saturabuntur.

Maria in cantico, Esurientes impleuit bonis.
 diuites dimisit inanes.

Noli ad reliqua tua peccata hoc addere, vt ab-

C. ij.

iiicias gratiam Christi, satis fidei habes, vt nō ab-
 iicias gratiam, si cum patre illo Marci 9. dicas,
 Credo Domine, sed adiuua incredulitatē meā.
 Mādatū accepit Christus à Patre. Isa. 42. Matth.
 12, vt linum fumigans nō extinguat, *undt ein zer-
 knotschtes rohr sol er nich gar zerbrechen.* Fideli-
 ter exequetur hoc mandatum. ipse custodit no-
 strā fidem. 1. Pet. 1. Christus: Oraui ne deficiat fi-
 des tua. Is adhuc ad dextrā Dei orat ne deficiat
 fides nostra, imò ipse accepit à Patre Spiritū san-
 ctum, per quem & dat, & auget fidem. Mater ma-
 ximē cōdolet infanti ægroto: ita & Christus im-
 becilibus fide, qui tamen cupiunt non reiicere
 eius gratiam. Heb. 12. Venimus ad Iesum Media-
 torem Noui Testamenti, & ad sanguinem asper-
 sionis præstantiora loquentem, quàm sanguis
 Abel.

*¶ Nam si per Legem iustitia, Christus frustra mor-
 tuus est.* Aut nō operibus iustificamur, aut Chri-
 stus frustra mortuus est. Quicquid non est Chri-
 stus crucifixus, non est nostra iustitia.

¶ Prima obseruatio. Quomodo saluaris? Bene-
 faciendo. Ergo Christus frustra mortuus.

*¶ Secunda, si Sacrificia sunt iustitia coram Deo,
 Christus frustra mortuus.* Hebr. 9. Non sanguis
 hircorum, &c.

*¶ Tertia, Si crux tua aut morbus saluat, Christus
 frustra mortuus est.* 1. Pet. 2. portauit peccata no-
 stra super lignum, &c.

*¶ Quarta, Si opus Baptismi est nostra iustitia,
 Christus frustra mortuus est.* Ideoque in mortē
 Christi baptizamur. Rom. 6. Si aquæ totius mū-
 di po-

di potuiffet peccata abluere, Christus frustra fuiffet mortuus.

Quinta, Si per opus Cœnæ remiffio peccatorū, Christus frustra mortuus: potuiffet statim à Cœna instituta ascendere in cælum, nec opus habuiffet trifti hac oratione: Pater fi possibile est tranfeat à me calix ifte. Neque opus fuiffet per mortem consummare. Sicut ait, cōfumatū est, fi antea per Cœnam peccatorum remiffio consummata fuiffet. Sed opus fuit victima antè per Euchariftiam repræfentata. Ideoque opere Euchariftiæ non iuftitia acquiritur, fed pro acquifita per mortem ac iam antè credentibus donata gratiæ à iuftificatis agūtur, & diuino testimonio in κοινωνία cum Christo confirmantur.

Quæ est igitur res quæ nobis imputatur in iuftitiam coram Deo? Nō iuftitia Legis, fed mors Christi. Si enim ex Lege effet iuftitia, Christus frustra effet mortuus. Quomodo nobis applicatur? Fide in promiffionem gratiæ ab ipfo Christo in nobis creata. Quorfum igitur Sacramēta? Non vt iuftificent, fed vt fint figna atque figilla iuftitiæ fidei, quibus, ceu testimoniis uifibilibus, fœderis ac iurifurandi mutui, Deus nobis iuftitiā in Christo crucifixo gratis offert, nōfque iis vtentes iuramus nos non alibi quàm in Christo hoc crucifixo iuftitiam quærere, non in nobis ipsis aut noftris uiribus, nec vlllo opere, fiue Baptifmi fiue Euchariftiæ, Rom. 4. ver. 10. adeo vt eo ipfo momento quo Sacramēta ufurpant, periuri fiāt ij qui iuftitiam in illis operibus quærūt: quandoquidem iis omnium quantumuis etiam Sanctorum operū iuftitiæ renuntiat, & in vnā

C. iij.

mortem Christi ut ea iustificemur, utrinque iuratur, tam à Deo, quàm ab hominibus. Non igitur tantùm his Christus frustra mortuus est, sed periurij etiam maleficio eo ipso quo Sacramentis in alium finem utuntur, sese obstringunt. Tanta est Hypocriseos cæcitas, quæ sibi ipsi, hominibus & Deo peierando illudit: dum iurat, periuriũ committit: dum Christum profiteri se simulat, abnegat. Periurij huius Sacerdotes infimulabat Stephanus eo ipso quod circumcisione accepta, animos à Christo crucifixo, quò ducebat, auerterent, & in circumcisionem aliáque opera defigerent, Act. 7. ver. 51. 52. Item ad Rom. 6. An nescitis, quotquot baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizatos esse? Et I. Cor. I. ver. 13.

CAP. III.

I **A** Mētes Galata, quis vos fascinavit
A ne obsequeremini veritati: quibus ob oculos Iesus Christus prius fuerat depictus, inter vos crucifixus?

Obiurgatio. Quis enim pius animus non vehementissimè commoveatur, dum audit, Christum frustra mortuum, passionē Christi etsi non verbis, tamen re ipsa abnegari? Ratio obiurgationis, quòd non tantùm decipi se diabolica incantatione, fascinari se passi sint. intelligit non omnes, sed plerosq; qui in graui illo errore versabantur. Simile perinde est, ac si quis hodie diceret: O insensati Germani quis fascinavit vos ut ab articulis fidei deficiatis, corpus Christi in
 Missa

Missa quærat, quod ascendit in calum, & quod patiamini vos à passione Christi abduci in qua sola remissio peccatorum consistit? utique non omnes intelligerentur Germani, sed ij qui in istis tenebris demersi essent.

I. observatio. Feramus patienter nostra vitia acriter reprehēdi à Deo. Confertur quidem aui, quæ alis suis tegit pullos, Deut. 32. Sed ingratitude nostra facit, ut rudiùs nos obiurget.

Incantatio est opus Satanæ, quod partim cōsensu, partim hominum opera perficit, qui ei se dediderunt, 1. perstringendo sensus. 2. lædendo corpora hominum vel bona. 3. animas implicando idololatria, superstitione & infinitis erroribus.

Obser. Quotiescunque homines veritati nolunt obedire sed mendaciis, & calumniantur veram doctrinam, scito opus esse Diaboli.

Veritas à Deo: mendacium à diabolo est, et si sit valde ornatum. Remedium contra spiritualement incantationem sunt, Articuli fidei, & decem præcepta, quoad gratitudinem, illis si insistas in negotio fidei, his in norma vitæ, aduersus Satanæ incantationem tutus eris.

Quibus ob oculos Iesus Christus depictus erat.)

Exaggerat crimen. Quia tam clarè edocti erant de gratia passionis Christi, ac si ipsum Christum vidissent crucifigi,

Ministri officium: perspicuè meritum passionis Christi in verbo & Sacramentis velut ante oculos spectandum proponere.

2 Hoc solum cupio discere ex vobis, Ex operibus Legis, Spiritum accepistis, an ex fide

C.iiij.

per auditum percepta?

Scopus Pauli, Nos nō merito operum, sed fide iustificari. Sic autem colligit: Ea doctrina per quam accepistis Spiritum sanctum, etiam verā iustitiam docet. Ratio est, quia duo illa beneficia sunt coniuncta, Spiritus regenerationis, & remissio peccatorum. Jerem. 31. Act. 2. & Ioel 2.

Atqui non per doctrinam operum de vestris meritis, sed per doctrinam Euangelij de merito Christi accepistis Spiritum sanctum.

Ergo & remissionem peccatorum siue iustificationem per doctrinam Euangelij accepistis.

Et sanè nemo vnquam per opera accepit Spiritum sanctum, qui pacatas reddit conscientias: vt in Adam videre est, quem non prædicatione operum, sed Euangelio erigit Deus. Etsi autem videatur hoc facile, tantū auditione Euangelij nos accipere Spiritum sanctum, tamen est ipsissima veritas.

1. Obserua discrimen Legis & Euāgelij: Lex veluti Syngrapha est qua ostēditur quid debeas Deo iure creationis, sed non habet promissionē remissionis peccatorum, & nouæ instaurationis vbi eam semel transgressus fueris, ideo terret tantū: Maledictus qui non manserit in omnibus. Euāgelium autem promissio est remissionis peccatorum & renouationis per Spiritum sanctum ad vitam æternam gratis per fidē in Filium Dei qui satisfecit. ad Rom. 1. & 3.

Sic non pugnat Lex & Euangelium. Nam cōsiliū Dei est, vt humiliatos Lege adducat ad gratiam Euangelij. Et Lex præparatio quædam
est

est ad Euangelium. Attamen quantumuis diu prædicetur Lex, cōsolationem tibi non adferet, sed inferos tibi ostendit apertos: per Euangeliū autem datur Spiritus sanctus consolator, obfignans promissionem gratiæ cordibus.

2. Obserua. Quomodo detur Spiritus sanctus: Per prædicationem Euangelii siue promissionem Dei de Christo mortuo & resuscitato.

Act. 10. & 11. Loquēte adhuc Petro, cecidit super eos Spiritus sanctus. Ne putemus inania verba profundi cum nobis prædicatur Euangelium: Ad Ephes 1. Per quem postquam credidistis, obfignati estis Spiritu promissionis sancto. Act. 28. Paulus vocatur ad ministerium vt illuminet cæcos, & vt conuertantur homines à potestate Satanæ ad Deum per fidē in me, inquit Christus. Ergo Spiritus factus author fidei datur per prædicationem Euangelii. 1. Tim. 1. Attende tibi ipsi & lectioni, hoc faciens temetipsum saluabis & eos qui te audiunt.

3 *Adeo amentes estis? quum spiritu inceperitis, nunc carne perficimini?*

Reprehendit Galatas, quòd non progrediātur, sed retrocedant. Per euangelium accepistis Spiritum sanctum, ergo initium vestrum spirituale fuit: nūc autē ad cæremonias caducas relabimini. Malū hoc omnib⁹ seculis regnauit, quòd in rebus externis quærunt remissionē peccatorū & salutē. Initio in Germania Spiritu cceptus est Papatus oppugnari, postea carne voluimus perfici: (id est carnalis præsentie opinione) ac si summa totius Euangelii in corporali præsen-

tia posita esset.

4 *Tam multa passi estis frustra? si modò etiam frustra.*

Christus iubet nos gaudere & exultare cùm omne malum dixerint de nobis, mētientes, propter me, inquit, merces vestra copiosa in cælis. Ergo passiones sanctorum sūt gemmæ & ornamenta, quia pro veritate susceptæ sunt: pro mendacio enim frustra quis patitur. Ergo quærit an frustra passi sint tot opprobria, cùm iam aliam viam iustitiæ quærant, quàm passionem Christi.

Obseru. Qui aliam viam iustitiæ remissionis-ue peccatorum quærit, quàm passionem Christi, frustra patitur. Augustinus: causa facit Martyrem, non passio vel afflictio.

5 *Qui igitur subministrat vobis Spiritum, & efficit virtutes in vobis, ex operibus Legis an ex fide per auditũ percepta subministrat?*

Repetit arguẽmentum quod paulò antè est explicatum.

6 *Sicut Abraham credidit Deo, & imputatum est ei ad iustitiam.*

7 *Ita nostis, nempe eos qui ex fide sunt, esse filios Abraham.*

8 *Providens autem Scriptura Deum ex fide iustificaturum Gentes, antè euangelizavit Abraham, benedicentur, inquit, in te omnes gentes.*

9 *Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli illo Abraham.*

Exemplo

Exemplo Abrahæ confirmat nos fide iustificari. Vis autem argumenti est in pari ratione à dispiscendæ iustitiæ quo ad Patrem credentium & filios credentes. Sicut Abraham in patrē multarum gentium atque hæredem cooptatus iustificatusque est: ita etiam adoptari iustificarique necesse est omnes eius filios tam ex Iudæis quàm ex Gentibus. Nam idem est fœdus adoptionis cum Abrahamo ipsiusque filiis initum, eadēque promissa iustificationis gratia. Atqui Abraham fide & adoptatus & iustificatus est, certo Scripturæ testimonio, Genes. 15. vers. 5. 6. Abraham, inquit, credidit Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Abrahamo credenti promissioni Dei, quod semen eius futurum esset sicut stellæ, licet in semetipso iniusto, imputavit Deus iustitiam, gratis nimirum eo adoptato in illius seminis capite Christo.

Assumptio hæc cum probatione ponitur vers. 6. Ergo etiam qui ex fide sunt, filij sunt Abrahæ, fidēque iustificantur. vers. 7.

Quia verò conclusio hæc maximè de Gentibus in dubium vocari poterat, an & ij qui ex Gētibus crederent, filij Abrahæ essent, ideoque fide gratis benedicerentur siue iustificarētur: hoc ipsum quoque Scriptura sacra confirmat versu sequente, 8. Deinde versu. 9. repetito principali argumento sic infert in vniuersum tam de Gentibus quàm Iudæis: itaque qui ex fide sunt (inquit) benedicuntur cum fideli Abraham, hoc est, omnes fideles, siue Iudæi, siue Gētes benedicuntur, id est, adoptati in filios gratis iustificantur cum fideli Abraham. Vbi obseruandum, Benedici &

iustificari pro eodem accipi. Peccatum enim maledicit, à quo Christus fideles absoluit, qui pro iis factus est maledictio, iisque imputat suam obedientiam, qua iusti comparent coram Deo. Obseruandum etiam, etsi Abraham, vitam ferè Angelicam viueret, tamen non ideo remissionē peccatorum accepisse, sed fide, qua inferebatur in illud semen, in quo & ipse & omnes Gētes erant benedicendæ. Ido etiam promissionē hanc gratuitam vocat *εὐαγγέλιον* quòd licèt tempore antecesserit, tamen re ipsa & substantia idem sit cum Euangelio de Christo exhibito. Hinc etiā apparet, quid sit fidelem esse: nempe, non modò Spiritus sancti afflatu, certò persuasum esse, Deū gubernare mundum, sed etiam se Patrem nobis fore in Christo, vt desperantes de nostris meritis veniamus ad Christum semen illud in quo benedicendæ sunt omnes Gentes, & vestiamur ipsius iustitia, nobis licèt iniustis & maledictis per fidem imputata. ita fit vt & nos Gentes, in illis stellis censeamur.

Cœpimus dicere de argumento ab Exemplo Abrahami, addenda sunt adhuc quædam: I. Quæ sit fidei natura. Ea autem est, etsi contraria seu aduersa omnia fidelis in se sentiat, tamen rectà promissionem Dei intueatur, & contra spē speret, vt in Abrahamo videmus, qui contra spem sub spe credidit. Non enim intuebatur corpus suum emortuum, centenarius, non corpus emortuum Saræ, sed contra ista omnia honorem veritatis & potentiæ dabat Deo, Romanorum 4. *πληροφορηθεὶς* quid? id quod promiserat potēs esset etiam facere. Promissio autem erat: sic erit semen

men tuum, sicut stellæ cæli. Seminis verò caput erat Christus in quo reliquū corpus erat benedicendum, sicut ait, In Isaac vocabitur tibi semē. Sic sentimus in nobis peccatū, sentimus Legē accusantē, sentimus calamitates ob peccata, sentimus tentationes infinitas, sentimus mortem: Et tamen credere & sperare debemus contra spem, quia verax est Deus & gratis promisit, nobis nō imputari peccata perinde atque si nulla in nobis essent. Tentationes omnes tegi quoque merito Christi, calamitates nobis cooperari in bonum, in morte ipsa me victurum: in infirmitate mea me firmum fore: denique quo minus in me sentio boni, eo magis Christum mihi fore omnia. nam in hoc missus est, vt euāgelizet pauperibus. Ergo tantum abest vt me deterreat paupertas & propriæ iustitiæ inopia fideique imbecillitas, vt hoc ipsū me cōsoletur, quia his missus est Christus.

Genes. 22. Jubetur Abrahamā occidere filiū. The saurus totius mūdi in eo velut inclusus erat: tamē sperat contra spē, Deum ex cineribus potius excitaturum Isaac, quàm vt non staret promissis. Sic Deus cū cœpit ædificare Ecclesiam, immittit crucem, videtur eam velle destruere. Tum sanè contra spem sperandum est. Sic David Psa. 2. Reges terræ conspirarunt: tamen terroribus illis sensus opponit decretum Dei immutabile & promissionem: Vnxi regem meum super montem meum Sion, & dabo ei in hæreditatem fines terræ. Hoc in Dauide partim videre licuit, in Christo verò propriè impleta cui omnia fuere aduersa, (Aue rex Iudæorum) & adhuc cōtra mēbra Christi omnia ludibria & practicæ, etiam

magnatū diriguntur. Tamen mansit vera & manebit vera Dei promissio, & **VINCE T**, nimirum sceptro ferreo Christus eos reget, velint nolint, & dabo Messiaē fines terræ, id est, veritas Euangelij apud omnes populos progressum habebit, donec omnia consummata sint.

Ergo cum Abrahamo discamus contra spem sperare, & veraci Deo & Patri totos nos committere, ipse faciet.

2 Doctrina de Abrahami exēplo. Quæ sit illa res quæ Abrahamo imputatur in iustitiam: ea est Christi obedientia futura, quæ oculis fidei Abrahamæ præsens erat. Sic Christus Ioan. 8. Abraham desideravit videre diem meum, vidit & gauisus est. Ergo reliquæ omnes promissiones quæ aliqua ex parte videntur temporales & terrenæ, vt numerosæ sobolis, terræ Chanaan, fundata sunt in principali, nimirū, **Ero Deus tuus**. Item: **In semine tuo benedicentur omnes gentes**. Deinde verò fides instrumentum est, quo apprehēditur iustitia imputata per Christum. Imputari autem dicitur iustitia, quòd coram Dei iudicio nobis accepta fertur, ac si ipsi Christi obedientiam præstitissemus. Qui meretur, ei nihil imputatur ex gratia. Non enim fides iustificat quatenus opus est, sed quatenus de omnibus operibus desperans, cupit videre diem Christi promissi, & ipsius iustitia desiderat ex animo vestiri: & dum desiderat, etiā desiderata potitur atque fruitur. Hoc desiderium videndi in Abrahamo, vt Christus exponit, est fides, ipsa visio est fidei actus seu fruitio rei desideratæ, ideo Christus ait, **Vidit & gauisus est**. Tanta est vis fidei, vt re
absente

absente fruatur tanquam præsente.

3. Discamus cur sanctorum opera vocentur iusta: Quia non solum nos, sed & opera nostra iustificat, tectis nimirum omnibus sordibus Christi obedientia, Rom 4.

4. Quandiu duret illa iustificatio Abrahamæ, qua & ipse & opera, iustitia Christi tecta sunt. Non ad tempus, siue aliquot menses, vt Papistæ docent, postea oportere nos mereri: sed semper ad finem vsque vitæ. nam cum verum sit, fidem iustificare: ergo Abraham fidem habens in Christum crucifixum, singulis momentis etiam dormiens iustificationem vnâ habet in pectore.

1. Placet Deo tota persona cum inchoata obedientia seu studio bonorum operum, quia peccata tecta sunt obedientia Christi. Nam iustificatio non est res momentanea, sed vt docetur ad Colos. 1. perfecta donatio remissionis peccatorum propter mortem Christi, qua fit vt homo sanctus, inculpatus & à nemine vllius criminis accusari possit coram Dei iudicio, idque siue viuat, siue moriatur, alioqui quomodo hoc subsistet quod dicitur 1. Thess. 5. qui mortuus est pro nobis, vt siue vigilemus siue dormiamus simul cum eo viuamus? In summa est semel indui iustitia. *Christi es ist ein mal verzeihung der sunden bekommen, & adoptionem gratis, vndt das in ewigkeit behalten.* Jerem. 31. peccatorum ipsorum non recordabor amplius. Et alibi Paulus, Dona Dei sunt absq; pœnitentia. Ad Rom. 5. Iustificati fide pacem habemus. Item, Gratia hæc in qua stamus. Et eodem capite vers. 8. 9. commendat suam charitatem erga nos Deus, quod cum adhuc essemus peccato-

res, Christus pro nobis mortuus sit. Iustificati igitur eius sanguine seruabimur nunc multo magis per eum ab ira. Nam si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filij eius, multo magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius.

10 Nam quotquot ex operibus Legis sūt, sub execratione sunt. Scriptum est enim, Execrabilis quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea.

Quotquot operibus Legis iustificari volunt, sub maledictione sunt, quod ostendit Scripturæ testimonio. Ergo fide accipienda est benedictio cum fideli Abrahamo.

Syllogismus integer sic habet: Aut fide cum fideli Abrahamo accipienda est benedictio siue iustitia gratuita, aut operibus Legis acquirēda. Hanc propositionem ut per se notam ex natura oppositorum cogitandam relinquit. At non operibus Legis acquiritur benedictio seu iustificatio. Loco huius assumptionis probationem eius ponit à contrario immediato: confirmato euidēti Scripturæ testimonio. Nam quotquot ex operibus Legis sunt, sub maledictione sunt. Scriptū est enim, Maledictus omnis qui non manserit in omnibus quæ scripta sūt in libro Legis ut faciat ea. Relinquitur igitur fide cum fideli Abrahamo benedictionem siue imputatam iustitiam accipiendam esse. At qui neminem esse qui in omnibus manserit quæ scripta sunt in Lege, Paulus ut cuiusque conscientia optimè cognitum, hinc nō probat. Vix enim tum temporis tam impudentes repe-

tes reperiri potuissent qui id negarent. (etenim quia sciebant se non manere in omnibus, ideo sacrificia in expiationē adhibebāt) Quia autē eouſque hodie progressa est impudentia & cæcitas; vt ferè orbem Christianū non Iudæos modò & Turcas complexa sit, paucis id probemus. Primò ex summa Legis, Diliges Deum ex toto corde, ex tota anima, ex omni cogitatione, & proximum sicut te metipsum. Quemadmodum enim ex summa summarum magis agnoscitur vno momento debiti magnitudo: (Nam dum aliquot Item audit debitor ordine legi putat adhuc se soluendo esse, at cum summam totam in fine audit terretur, & colligit summam superare suas facultates) ita etiam Deus summam Legis proponit, vt vno intuitu cõuincaris, te ne vna quidem hora, imò ne momento quidem Legem seruasse. quando enim flagrauit cor tuum tanta dilectione Dei, vt omnes cogitationes tuæ & sensus eò ferrentur? quando potuisti dicere, Dilexi quemlibet hominem mihi obuium, (nam is proximus est) sicut me metipsum?

Deinde 2. Cor. 3. docetur, nos nullam bonam cogitationē ex nobis ipsis habere, ergo tantum malas cogitationes ex nobis ipsis habemus, & oculi ad multa leuia intenti, aures sæpe delectantur sermonibus contra Dei gloriam & aduersus proximum, lingua infinitis modis peccat. ideo Christus ait, nos de vnoquoque ocioso verbo rationem reddituros. Finis vt agnoscamus, emendemus & remissionē petamus, quoties in grauiora etiam peccata labimur. In summa Ecclesia-

D.j.

stes 8. ait, Non est quisquam iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Rom. 3. diffusè id tractatur: Non est qui faciat bonum ne vnus quidem. Si non aliud esset quàm concupiscentia, omnes tamen conuinceremur peccati. Non concupisces omnem affectum & cogitationem cōtra Dei præcepta condemnat.

Hoc præceptum non solùm omnes homines, sed totam nostram naturam conuincit peccati, adeo vt sordes & peccata sint quicquid in nostra natura est. nam in omni peccato hoc est præcipuum malum, & veluti venenum, quòd animus fertur contra Deum, & oblectatur eo quod Deo est abominationi. Ergo vel solum præceptum, Non concupisces, nos cōuincit, quàm siuis perditio ingenio, quod pugnet cū ingenio Dei qui bonus est & vita. Rom. 7.

Et ne regeneratos quidem seruare Legem ex eodem præcepto euincitur. Possent quidem Deus in hac etiam vita perfectionē dare, sed vult eos in humilitate continere, donec nos exutos omni peccato ad se colligat. *Maledictus qui nō manserit in omnibus.*) Et sanè notandum, Quòd dicit in omnibus, non in quibusdā tantùm, quales reperiuntur quidam qui dicūt, Hoc atque hoc præceptum seruabo, sed ab illo peccato, vt à iuramento, vel à fœnore, vel à blasphemis abstinere non possum. Non admittit Dominus hanc partitionem. Lex enim Dei est immutabilis regula iustitiæ in mente diuina, quæ perfectam internam & externam requirit obedientiam, & condemnat in omni rationali creatura quicquid ei non est confor-

conforme, nisi fiat reconciliatio. Iacob. 2. Qui in vno transgreditur est omnium reus, quia, inquit Iacobus, qui prohibuit furari, idem alterum quoque prohibuit. Contemnitur Deus omnium præceptorum author; cum vnum præceptum contemnitur.

Maledictus qui non manserit in omnibus.)

Obserua Deum ipsum è cælo pronuntiasse sētētiā, quēadmodū Scultetus facit dū frāgit baculū sub cælo. Et non dicit maledicēdū esse; sed maledictum esse. Nam sententia ore iudicis lata est; restat plena executio. Deut. 28. Christus Ioā. 3. Qui non credit; ira Dei manet super eum, & iam condemnatus est. Multi putant hærentes in delictis contra conscientiam se longum adhuc habere terminum ad extremum iudicium: At non vident se iam laqueum veluti in collo gestare & maledictionē Dei in facie. Nam licet plena executio differatur, tamen certissima est sententia iudicis quæ eos constrictos tenet. Et iam incipit exequi in hoc mūdo dum punit cæcitate, stupore, peccata peccatis, punctationibus conscientia & in morte sensu iræ Dei.

11 *Nullum autem per Legem iustificari apud Deum, manifestum est: siquidem Iustus ex fide viuet.*

12 *Lex autem non est ex fide: sed qui fecerit ea homo, viuet in ipsis.*

Alio argumento à contrariis probat, Nos nō Lege siue operibus iustificari. Qui iustificantur fide, ij non iustificantur Lege. Quia Lex costā.

D ij.

tum iustificat qui totam Legē implent, fides autē iustificat qui totā Legē non implent, ne vnicū quidem præceptum implere possunt, ideóq; omniū operum meritis destituti, siue nullam guttam meriti in se reperientes, per fidē in obedientiam Christi ipsis gratis donatam iustificantur.

Hæc sibi mutuò aduersantur Iustificari meritis operum: & SINE omni merito DONO gratuito iustificari. Atqui nos fide iustificamur, vt probat ex 2. cap. Abacuc: iustus fide sua viuet. Ergo non ex Lege, siue ex operibus. Nunc ex verbis textus hoc declaremus.

Ait, Nullum apud Deum iustificari per Legē manifestum est. Non sine causa ait, apud Deum. Nam ei perspicaciores sunt oculi, quàm hominibus, vt docetur 1. Io. 3. Et Paulus, nullius mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et Christ⁹ Luc. 16. vos iustificatis vos corā hominū cōspectu, at Deus nouit corda vestra. Ergo alia est iustificatio corā hominibus, quàm corā Deo.

Iustificatio corā Deo est eiusmodi perfectio & integritas totius hominis qua inculpatus ita vt nullius peccati accusari possit, sistitur coram Deo, vt dicitur ad Colos. 1. Itaque Lege, siue operibus corā Deo iustificari dicitur is, in cuius vita ea est perfectio, vt si singulis momentis sistēdus esset Dei iudicio, nullius peccati interni aut externi accusari possit: nam maledictus qui non in omnibus manserit, vt uiuat in eis. Contrà, fide iustificari dicitur is, qui Legis siue operum iustitiam in se non inuenit, sed extra se obedientiam passionis Christi sibi donatam fide amplectitur, qua

qua indutus, iustus est coram Deo. Ideoque qua
cūque hora sistatur fidelis Dei iudicio, non po-
test accusari vllius criminis siue peccati, vt do-
cetur ad Colos. 2. Quis accusabit electos Dei?
Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet?
Christus est, qui mortuus est, imò qui etiam re-
surrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam po-
stulat pro nobis.

Agamus } 1. Quid Lex promittat, & qua con-
 } ditione.
 } 2. Quid Euangelium promittat, &
 } qua conditione.

Lex ait libro 3. Mosis cap. 18. Qui fecerit hæc
homo, viuet in eis. Prima fronte cū audimus,
Qui fecerit hæc, viuet, putamus nos mira lucra-
tos ac fœlices, quia promissionem tantū intue-
mur, præterito eo quod prius à nobis stipula-
tur antequam promittat. Prius igitur vidēdum,
quid lex à nobis requirat. Respondeo, vt facia-
mus omnia quæ præcipit. *Das ist ein gross ge-
ding, vvelches Gott im zuuor vwill auffgedingt habē,
das mirs alles thun, so vwill er vns das ewvige leben
geben.* Iam si conferas vitam tuam cum condi-
tione Legis, videbis tibi vitam non deberi. Non
enim ait, qui sciuerit vel audiuerit hæc, sed qui fe-
cerit. Ad Rom. 2. Non auditores, sed factores
Legis iustificabuntur, quasi dicat, Vos Iudæi ha-
betis & auditis Legem in Synagogis, ideoque
gloriamini de eius iustitia. Verū scitote nō hanc
conditionem adiectam Legi, Qui audierit hæc
viuet in eis, sed Qui fecerit. Scitote, inquam, nō
sub hac cōditione in Lege vitam æternam pro-

D. iij.

missam esse si eam audiatis in templo, sed si perfectè eam impleatis. Simile. quemadmodum si controuersia de proprietate agri incidat: recurritur ad literas siue instrumentum venditionis, in quo si ponatur agrum tuum fore, verùm hac conditione, si solueris, prius certè non erit tuus, quàm solueris. Ita dum quæstio est de vita cælesti acquirenda operibus, videamus literas à Deo scriptas: Qui fecerit hæc viuet in eis. Ergo si fecisti perfectè, dabitur tibi vita.

Sic intelligendū quod hîc Paulus ait, Lex non est ex fide, sed qui fecerit, id est, Lex non offert gratis iustitiam credentibus, sed exigit perfectã impletionem. Deinde vbi semel es transgressus Legem, Lex nullam habet promissionem remittendi tibi peccati. Nam quo opere sequente prius peccatum solues, cum illud ipsum opus debeas? Adhæc opus quodcunque tuum, peccato non æquiualeat.

1. Obiectio Papistarū: Verba sunt clara, Deus ipse loquitur: Qui fecerit hæc viuet in eis. Respondeo, Deus quidem loquitur hæc verba, sed non est satis Deum ea loqui, oportet te etiam ea facere, alioqui non habebis vitam. Iam cogita an tu internè & externè omnia feceris, nullo apice omissio. Hypocritæ putant se facere posse: Paulus negat.

2. Obiectio. Cur igitur Deus promisit: Qui fecerit hæc viuet in eis, num irridet nos Deus? sic enim loquuntur Papistæ.

Deus non irridet, Finis enim Dei nunquam fuit, cum ista diceret, vt doceret homines. confidere

dere suis operibus quasi promissionis in paradiso de femine mulieris esset oblitus, ac nūc aliam inierit rationem, scilicet vt nos ipsos seruaremus operibus: neque etiam ista dixit, quòd cogitarit quēquam posse seruare Legem præter Christū. Sed hic fuit Dei scopus: vt homo sciret, pietatē & iustitiam Deo placere, & Legem eius esse immotam regulam in mente diuina: quam vt purū speculum homo intuitus & comparatione sui ad eam normam facta, prauitate sua atque impotentia agnita, humilietur, & ad promissum in paradiso semen confugiat. Dicere enim solent homines cōfisi propriis viribus: Si scirē quid mihi opus factū est, facerē, salutēque mihi pararē. Abacuc loco citato ab Apostolo loquitur de multis calamitatibus & consolatur nos quòd iusti fide, id est, fiducia in promissionem Dei in æternū victuri sint, Notādum quod ait, iustus. Etiam ij qui regenerati sunt & pij, non aliter quā fide in promissionem gratiæ viuent: id est, etiam ij qui opera bona faciunt, non aliter quā per fidem viuent gratis.

13 *At Christus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus est execratio. scriptum est enim, Execrabilis quisquis pendet in ligno.*

14 *Vt in gentibus benedictio Abrahæ extet in Christo Iesu, & vt promissum illum Spiritum accipiamus per fidem.*

Occurrit obiectioni siue dubitationi: Dixisti maledictū esse qui in suis operibus salutē quæ-

D. iij.

rit. Magna vox, Quomodo igitur sanabimur? Respondet, Christus nos redemit (ablzauft) à maledictione Legis. Modum ostendit, dum pro nobis factus est maledictum.

I. Quomodo intelligendum, Quòd Christus factus est maledictio. Respondeo, quòd Filius Dei in humana natura anima & corpore non solum lacerationem membrorum senserit: sed totam illam iram Dei & maledictionem eandem quam nos sensuri fuisset, nisi pœnâ in se trãtulisset. Non fictè sed verè sensit maledictionē, vt nos non fictè, sed verè ab ea liberaremur. Et quidem adeò verè maledictionem nostram tulit, vt ne vnum quidem peccatum ex omnium electorum peccatis manserit irapunitum. Ratio est: quia vnum peccatū, etiam minimum, maledictionem meretur. Atqui Christus non imperfectè sed perfectè satisfecit. Ergo singulorū nostrorum peccatorum maledictionem suscepit. Quanta abyssus! & nisi ipse sensisset, nos sentiremus. Loquēdi forma eiusmodi vtitur, Factus est pro nobis maledictio, vt non fictā, sed verā maledictionem significet. Probat id ipsum Paulus ex Deut. 21. Maledictus qui pēdet in ligno. Certè Deus tum sciebat qua morte esset afficiēdus Filius. Ergo volūtate Dei verè pro nobis maledictus fuit, voce Dei, non solum hominum, vt fideles à maledictione Legis non perfectè præstet, verè in omnem vitam sint liberi. Esa. 53. Cùm posuerit animam suam Ascham, peccatum, id est, hostiam cui verè peccata nostra imposita sunt, & quæ verè fert iram & maledictionē nostram:

stram: ideóque etiam ait, Attritus fuit propter peccata nostra.

Antithesin faciamus inter Papistas & nos: videamúsque qualem illi iustificatorem faciant ex Christo. Christus non ita iustificat nos, quòd tradat perfectiora opera quàm ea essent, quæ in decem præceptis erant comprehensa. Nam paulò antè Paulus dixit, Qui fecerit hæc homo viuet in eis. Necessè est autem perfectam esse illam viuendi regulam, quæ adduceret ad vitam si qui essent qui eam seruaret: sed sic Christus nos iustificat dum pro nobis, inquit, factus est maledictum, vt nos à maledictione Legis redimeret. Si Christus plenè nostram maledictionem in se recepit, sequitur singula nostra peccata nullo excepto in eodè punita esse. Nam minimum peccatum maledictionem meretur.

Quanta abyssus, in quam se dedit Christus? Hæc obedientia Filii omni Legis iustitia est superior. Nam & Adamus in Legis iustitia permanere potuisset, si voluisset. At tantam maledictionem singulis Electorum peccatis debitam, tanta obedientia sine indignatione vlla perferre, ne omnes quidem Angeli potuissent. Itaque hæc obedientia Filii non modò Legis iustitiam, qualem Adamus in creatione acceperat, qualèque Lex iure suo requirit, superat, sed omnium etiam Angelorum iustitiam.

Porro discamus etiã hinc quàm detestari debeamus peccata tota vita. Si enim tam fœda sunt, vt Filius Dei propter ea factus sit maledictum, nostramque maledictionem extremè sen-

ferit quid de nobis fiet, si tantam gratiam incredulitate ingratitudeque nostra reiecerimus? Adhæc in verbo ἐξυγόεσθαι, redemit, consolatio magna est. *Er hat uns abkaufft.* Sic I. Cor. 6. vers. 20. nisi quòd hîc particula ἐξ ad priorem statum maledictionis in quo eramus, respiciens, maiorem etiam vim consolationi addit.

Ergo maledictio, peccatum, inferi nullum ius in nos habent: quia Christus nō ab iis ἐξυγόεσθαι. Eodem spectat illud PRO NOBIS.

Vnum ad superiora addendum, nimirum locum de extremo iudicio. Matth. 25. posse optimè intelligi ex hoc loco ad Galatas, Vt benedictio Abrahæ in nos veniret. nempe Christum ibi salutem tribuere non operibus, sed benedictioni suæ, operum autem eum mentionem facere tanquam fructuum fidei. probemus hoc ipsum, Venite benedicti: Ad Gal. 3. Quia Christus pro nobis fuit maledictus. Ergo nos non ipsi benediximus nobis, sed cælestis Pater per Christū. Ad Ephes. 1. Dilectos nos facit in dilecto.

2. ait, Hæreditatem regni possidete, Hæreditas ex gratia, non ex merito filiis contingit.

3. Omnem dubitativam de meritis tollit, quod addit, Quod paratum est vobis ab origine mundi. Paratum, antequam nati essetis. Ergo nullo merito operum comparatum.

4. Fideles etiam nihil tribuent suis operibus: Quando vidimus te esurientem, dicent.

I. obiectio. Cur addit, Esurivi, & dedistis mihi cibum &c. Respond. fructus fidei ostēdit, qui fructus sequitur benedictum siue iustificatum,

non

non præcedunt iustificandum. Arbor prius bona sit oportet, postea bonos fructus profert. Reliqui infideles maledicuntur, quia in peccatis suis mortui sunt, Christum enim crucifixum non receperunt, qui ipsorum maledictionem tolleret. Ex fructibus Christum ipsum ab eis reiectum esse iudicatur. Ego sitiui, ego esuriui, &c.

2. Obiectio. Ite maledicti. Hi ob mala opera maledicuntur. Ergo nos ob bona opera benedicimur. Respondeo, Occidere nos possumus: ac denuo viuificare non item. Ephes. 2. Cùm mortui essetis in delictis conuiuificauit vos cū Christo.

Maledicti sunt omnes infideles ex sententia Legis, quia & mala opera perfectè mala atque peccata sunt, & fide in Christum carent impii qua sola peccatum & maledictio tolluntur. At bona opera non perfectè bona sunt, siue Legi conformia, licet fidem quis habeat. Ideo opera etiam fidelium non possunt liberare à maledictione, sed solus Christus fide apprehensus, qui pro nobis factus est maledictio. Et notandum quòd Christus nō sine magna causa ante passionem de extremo iudicio concionatur. Necessè est enim ingentè esse iram illam venturam à qua vt liberarentur electi necesse fuit filium λόγον æternū tanta pati, atque adeò maledictionē fieri. Sed quæ interim huius doctrinæ utilitas, quòd licet iustificationis gratia siue benedictio sit gratuita, ex fructibus tamē de fide sententiam ferre velit supremus iudex? Ad hoc sic habeto. Nihil hypocrisi detestabilius. Solet foris pietatem si-

mulare, qua cor est vacuum: contra verò eos qui ex animo sunt pii, vt impios calumniari. Vt igitur faceffat omnis ille fucus, non verbali proceffu aut contestatione fe causam acturum pronun-
 ciaturumque affirmat celestis iudex, sed facta & res prodituras in medium, ex iis que se laturum sententiam. Id quod non solùm terret hypocritas, sed etiam aduersus sinistra eorum iudicia cõsolatur nos. 2. Tum etiam nouit iudex fidelium eius maximè interesse aduersus ipsum Satanam. Solet Satan piis cùm omni ferè vita, tum in agone offundere tenebras, & præstigiis fascinare mentem an verè crediderint, &c. Tum mens fidelis, Non ex præstigiis tuis Satan, sed ex fructibus iudicet iudex Christus. Tu ita præstigiis tuis mihi illudis, vt ferè hæsitent an credam, necne iudicet Christus, non è tuis præstigiis & mēdaciis, quibus vexare soles Dei filios, sed è fructibus. fructus res sunt non præstigiæ. Ex iis malo sententiam ferre iudicem, quàm ex præstigiis & illusionibus aut disceptationibus tuis, quas tu mihi morituro ingesseris. Scilicet iudex præstigiis tuis maiorem habeat fidem, quàm erga Christum meum quantuliscunque, è sincero tamen corde profectis fructibus. Benedictus sit Dominus iustus iudex & misericors, simul iustus tamē aduersus te Satanam spiritum vafrum & malignum, qui ex fructibus à suomet spiritu profectis, non ex vllius loquacitate, fucis, aut tuis etiã præstigiis afflictarumque conscientiarum à te motis perturbationibus, constans & solidum atque in omnem æternitatem ratum vult interponere
 iudicium

iudicium. Fructus res sunt, non vmbra rerum, nō præstigiæ. Ex iis iudicet Christus Iudex ^{καρπὸς} ^{ζῶσης} solus, an ex ipsius Spiritu, & quidem Spiritu adoptionis & fidei, non prauo meo ad malum libero arbitrio sint profecti. Et si aliqua sint testimonia, licet non multa, rectè tamen vel ex vno Dei Spiritu adoptionis & fidei iudicauerit solus sapiens & author omnis boni Dominus, & vel paucis, synceris tamen indiciis credenti promissam à se hæreditatem cælestē non denegauerit.

15 *Fratres humano more loquor. Hominis licet pactionem auctoritate confirmatam nemo abrogat, aut aliquid ei superaddit.*

16 *Abraha verò dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, Et seminibus, ut de multis: sed ut de vno, Et semini tuo, qui est Christus.*

17 *Hoc autem dico: pactionem antè confirmatam à Deo respectu Christi, Lex quæ post annos quadringentos & triginta cæpit, non facit irritam, ut aboleat promissionem.*

Προσυλλογισμὸς est. Hominis pactionem auctoritate confirmatam nemo abrogat aut aliquid ei superaddit. Iniquum autem esset pactionem Dei minus habere roboris quàm pacta hominum secundum ius facta: propositio hæc siue maior, intelligenda relinquitur. Nihil igitur est quòd pactionem Dei abroget aut ei superaddi queat.

Hæc ^{προσυλλογισμὸς} cōclusio, sequētis syllogismi

propositio est, ad quam sic assumit Apostolus:

Atqui promissiones quæ dictæ sunt Abrahamo & semini eius: & quidem non dicit, Et seminibus, ut de multis, sed ut de vno, Et semini tuo, qui est Christus: sunt pactio Dei antè confirmata à Deo respectu Christi. Ergo Lex quæ post annos quadringentos & triginta cœpit, nō facit eam irritam, ut aboleat promissionem. Hoc est, Lex nō data est, ut in nihilum redigeret Dei promissionem, qua antea Abrahamæ credenti gratis imputata erat iustitia donatæque ipsi & ipsius semini cælestis hæreditas.

Quod tamen necessariō sequeretur, si data Lex esset in hunc finem, ut operibus iustitiam & hæreditatem cælestem mereremur: idque ex natura contrariorum sese mutuō euertentium. Nā si ex Lege est hæreditas (inquit vers. 18.) non iā ex promissione. Abrahamæ verò per promissionem donavit (sive gratificatus est) Deus hæreditatem. Pro syllogismi argumentum constat collatione maiorum & minorum, siue facilioris & difficilioris. Syllogismi verò principalis, forma ipsius pacti Dei, argumento nimirum cum ex omnibus tum ex ipsis causis firmissimo. Hæc est summa ratiocinationis Paulinæ ex ipsis verbis contextus apta atque connexa vsque ad objectionem, Quid igitur lex?

I. Obseruemus quæ sit utilitas huius argumenti Paulini. Respondeo, Ut certus sis & iam in conscientia, & coram iudicio Dei hæreditatis æternæ.

Simile. Si quis filium tuum adoptasset inopem

pem, & hæredem scripsisset, instrumento (vt
vocat) auctoritate publica confirmato, in
quo nulla adscripta esset conditio operum: pa-
tre autem adoptiuo mortuo, illius propinqui in-
strumento conditionem adscribi curassent eius-
modi, si in omnibus dicto audiens fuerit, hæres
esto: multum utique eius intererit, vt factam
tectam tueatur absolutam illam hæredis insti-
tutionem, formamque testamenti transforma-
ri non patiatur: alioqui de hæreditate periclita-
bitur. Ita cum turbata conscientia dicit, Effes
quidem filius Dei & hæres, si Legem seruasses:
Responde: Lex expecta quadringentos & tri-
ginta annos, & cum illos expectaueris, scito
Deum me & omnes fideles iam antè cum fidei
Abrahamo in semine Abrahamæ benedicto, qui est
Christus, adoptasse, iustificasse, & in hæredem
vitæ cælestis cooptasse. Lex enim non iustifi-
candi causa data est: quia iustificatio antè gratis
donata erat Abrahamæ, ipsiusque semini creden-
ti. Clarum id fiet ex historia. Genes. 15. prædi-
cit Dominus statim post fauoris sui promissio-
nem gratuitam iustificationemque fidei, adeoque
post adiectum benedictionis cælestis symbo-
lum, prædicit, inquam, Abrahamo, ipsius po-
steros quadringentis annis seruituros in Ægy-
pto. Postea in Exodo cap. 20, Lex demum pro-
mulgatur, cum quadringenti illi anni elapsi es-
sent. Ergo Lex non ideo lata, vt Abraham ipsiusque
posteris operibus Legis iustitiam nanciscerentur,
quæ tot annos antè gratis ipsis do-
nata fuerat.

Et femini eius. Non dicit, Et feminibus, vt de multis, sed vt de vno, Et femini tuo, qui est Christus. I. Quoad benedictionē cælestem, cuius antè versu 8. facta est mentio, certū est eā non nisi in vno certo semine, & vt ita dicam, indiuiduo, qui est Christus, promitti.

2. Quia autem promissam hanc benedictionē cælestem Dominus, altera etiā nū promissione hæreditatis terræ Chanaan, quæ benedictionis illius prioris, hæreditatisque cælestis pignus esset, ornare voluit, dixitque se Abrahæ eiusque femini daturum terram illam: vtique & hanc ipsam in eodem semine Christo, qui est hæres omnium, & in quo omnes promissiones sunt etiā & Amen, fundatam esse voluit: & promittendo symbolum hæreditatem nimirum terræ Chanaā femini Abrahæ, sciendum est hanc ipsam promissionem non vagam fuisse cuius femini communem, sed in semine illo vnico fundatā, in quo prima & principalis benedictionis cælestis promissio fundata erat.

Duo igitur hinc obseruanda, 1. promissio prima & principalis fuit benedictionis cælestis in semine benedicto. Gen. 11. ver. 35. & cap. 22. ver. 16. Ad Heb. 11. ver. 12. 13. 14. 20. Gal. 3. ver. 8.

2. Semen cui facta est promissio benedictionis cælestis est ipse Christus. Nam statim ab initio cum Deus Ismaelem cum posteris reiiceret, diceretque Genes. 21. In Isaac vocabitur tibi semen, illud nimirum in quo omnes gētes benedicendæ erant, ostendit, nomē seminis in certa persona residere, à Deo ordinata, vt sit caput Ecclesie: &

fiæ: & quicūque siue Iudei, siue Gentes huic per fidem inseruntur, ij censentur in semine. Sic ad Galatas 3. vers. 29. Ideo in Epistola ad Romanos cap. 9. vers. 6. 7. 8. ait, Fieri nō potest, vt exciderit sermo Dei. Non enim omnes qui sunt ex patre Israele, sunt Israel: neque quia sunt semen Abrahæ, ideo omnes sunt filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen. Hoc est, Non qui filij carnis ij filij Dei, sed qui sunt filii promissionis, censentur in semine. Filii autem promissionis sunt, qui virtute promissionis nascuntur Abrahamo, sicut Isaac natus est: sermo autē promissionis quo cooptat, quos gratis elegit ex Gētib⁹ in filios, est *ενοχαι* *νον* illud, vt vocat Apostolus: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Qui igitur prædicatione huius promissionis efficaciter vocantur, hoc est, fide è gratuito electionis fonte donantur, qua Christo benedicto Abrahæ semini inseruntur, hi adoptantur in Christo, & conduntur filii Dei, (cū alioqui natura essent filii iræ, vt & cæteri) & dicuntur filii promissionis tum quòd illi demum veri illi sint genuini Abrahæ credenti promissi filii: tum etiam quòd promissa cælestis benedictionis virtute gignuntur: tum quòd ita demum gignuntur, dum capiti omnis benedictionis, vnico illi & vero semini promisso & exhibito inseruntur, & fide cum eo coalescunt. Vide ad Galat. 4. vers. 27. 28. & Gal. 3. vers. 28. 29. Quòd si vos Christi estis, Abrahæ semen estis, & secundum promissionem hæredes.

3. Promissio hæreditatis terræ Chanaan illius cælestis fuit pignus, & velut appendix, ideoque

E. j.

etiã fundata in prima illa & principali. Vt videre est ex Epistola ad Hebr. cap. 6. ver. 16. 17. 18. 19, & ad Hebr. II. vers. 17. 18. Itaque quoniam in Isaac, deinde in Iacob vocandum erat semen in quo resideret promissio benedictionis & hæreditatis cælestis, ad Hebr. II. vers. 16. 17. 18. placuit Deo vt Isaaci etiam & Iacobi posterii illius quoque pignus, terram nimirum Chanaan hæreditate acciperent. Non autem Ismaelitæ, neque etiã posterii Esau siue Edomitæ.

Nam apud eos ex quibus oriturum erat semẽ illud cui cælestis promissa erat benedictio, cuiusque corpori inserendi erant omnes electi ex Iudæis & Gentibus, etiam extare volebat terrenæ hæreditatis benedictionem, siue gratuitum donum, vt veræ illius pignus: qua de re cõfer caput 15. Genesis vers. 17. 18. quem locum videtur hîc Paulus allegare, & cap. ad Hebr. II. vers. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Item vers. 22. 26. 39. 40.

Confer etiam ad Rom. 4. vers. 13. 14. cum hoc loco ad Galatas: & ad Hebr. I. vers. 2.

Abraham dicta promissiones.) Potuisset etiam Paulus altius repetere, & dicere promissionem in Paradiso datam: Semen mulieris conculcabit caput Serpentis, Lex non rescindit. Sed quia cû pseudoapostolis ei erat negotium, qui Legem urgebãt, & quia clarior etiamnum promissio Abrahamæ facta & iuramento confirmata fuit addito terrenæ hæreditatis symbolo atque artha, ideo potissimum hinc ducit argumentum.

Abrahæ per promissionem donauit Deus.)

1. obserua. Nõ posse cõsistere simul meritum
& gra-

& gratiam, siue donum Dei.

2. Hæreditatis vocabulum ostendit esse gratiam. Quàm misera esset conditio filii, si semper dubitandum ei foret, an hæres esset necne? Sed quia hoc certum, plena *πληροφορία* patrem complectitur, fedit, colit. Quod est illud donum hæreditatis, quod Abrahæ donauit? Respon. ad Roman. 4. vt sit hæres mundi.

1. Inde colligo: infideles iniquè possidere quicquid possident, quia non sunt hæredes.

2. Terrena beneficia partem esse hæreditatis, & ducere nos debere ad cælestem illam plenam hæreditatem, I. Co. 3. vers. 21. 22. 23.

3. Donatio illa nobis facta: quia facta est Abrahæ & ipsius semini. Atqui nos credentes sumus illud semen in Christo.

Consolatio. Quàm verè Abraham potitur hæreditate cælesti, tam verè & nos potiemur, quia non alia sed vna & eadem est donatio. Et dum Abrahæ per promissionem donat, etiam nobis donat. Matth. 8. Multi ab Oriëte & Occidëte venient, &c. Semel pro semper, vt loquuntur in foro, *Ein mal fur alles schenket Gott dis Abraham,* & legitimis eius filiis, id est fidelibus. obseruandum porro, Donationis gratuitæ vocabulo eum vti, ne quis cogitet, ipsum Abrahamum probum virum fuisse, ideóque Deum compensasse eius probitatem.

Ergo vt doceat à parte Abrahami & nostrum omnium nihil esse, quod mereatur gratiam, nominat gratuitam donationem: quasi dicat, nō est hîc cōtractus mutuus: exempli causa, facio vt tu

E. ij.

facias vicissim, vendo, vt soluas. Nihil horum. Deus est qui donat gratis : homo accipit solummodo: imò hoc ipsum acceptare siue credere, etiam gratuitum Dei donum est. Quia tãti sumus hostes nostræ salutis, vt si Deus offerret tãtummodo, & non etiam fidem daret, oblatum donũ reiiceremus. Matth. 13. Vobis datũ est nosse mysteria regni Dei, cæteris autem non est datum. Ergo donationis vocabulo ostendit nos nihil esse, & omne meritum probitatis Abrahamæ & nostrum excludit.

2. Hinc soluitur, quod obiici poterat de Lege naturæ. Cogitare enim quis posset, Verum est Lex siue Decalogus nõdũ datus erat cum Deus Abrahamæ promitteret, sed 430. annis post. Attamen Legem naturæ habebat, quid si per illam aliquid meritis est? Respondeo, Sciebat Deus totam naturam cum Lege naturæ (quæ vestigia quædam sunt Dei imaginis) corruptã esse. Ideo non promisit Abrahamæ sub conditione, si Legi naturæ satisficeret. Memor enim erat Dominus eorum quæ ipsemet antea ad Noachum dixerat Genesis 6.8. Omne figmentum cordis humani prauum est ab adolescentia sua. Item Iosue ultimo. Si igitur omne figmentum cordis humani malum, quid opus fuisset illa conditione, si Legi naturæ satisfeceris. Reddidisset promissionem prorsus irritam. Et hoc ostendit donationis vocabulum nullum Legis naturæ habitum fuisse respectum.

2. Respondeo. Ideo tantũm Legis scriptæ quæ perfecta est, meminisse Paulum, quia Paulus cõsiderauit

sideravit rem, vt erat, nimirum operibus nullam mercedem deberi, (quemadmodum nec empto seruo) nisi ex pacto: quatenus Deus nil iis debēs, tamen promittit. Atqui ante Legem datam nihil erat promissum operibus, igitur nulla merces iis debebatur.

2. Obserua, Quomodo Abrahamæ & nobis qui ipsius semen sumus confirmata promissio, nempe iureiurando. Gen. 22. Per meipsum iuravi, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ad Hebræos 6. idem docetur. Confirmatio hæc maior, quàm si omnes Angelos adhibuisset testes. Necdum si septem homines adhibuisset, vt fieri solet in testamentis. Et tamen ea testamenta rata sunt, ita confirmata. Multo magis Dei pactio iureiurando in Christo confirmata, 1. Ioan. 5. Si hominum testimonium recipimus, Dei testimonium maius est.

3. Vt certa sit promissio, fundamentum Christus sit oportet, non nostra merita, contra temptationem: Es miser peccator, indignus hæreditate cælesti. Respōdeo, Satis est dignitatis & meriti in filio Dei. In hoc & propter hunc promissa est hæreditas. Et sanè Christus vt caput Ecclesiæ omnes promissiones à Patre accepit, Non vt eas sibi seruaret: non enim opus habebat, sed vt nobis essent certæ in ipsius manu.

4. Constantia fidei in Abrahamo notanda est. Bis mille & quadringētis annis pōst venit Christus.

18 Nam si ex Lege est hæreditas, non iam
E. iij.

ex promissione: Abrahæ verò per promissionē gratificatus est Deus hæreditatem.

Solent homines merita coniungere gratiæ Dei. At verò si ex Lege est hæreditas, iam nõ ex promissione: quia meritum non potest esse donum, nec donum meritum. Atqui Deus per promissionem donavit Abrahæ.

19 Quid igitur Lex? Transgressionum gratia addita est, usquequo venisset semen illud cui facta est promissio.

Obiectio est: Si Lex non saluat, vel iustificat, Ergo inutilis est. Respondeo: Non sequitur. nam alium etiam habet usum, vt conuincat nos peccati. Et inuersione utitur, tantum abest vt Lex iustificet à peccatis, vt etiam conuincat peccati, & in hunc finem lata sit. Quasi dicat, Longè alium finem in danda Lege habuit Deus, quàm vt iustificaret: sed vt homines cõuincantur, ne vanis excusationibus ignorantia tegant peccata, vti solent. Ideo ad Rom. 4. ait: Lex iram operatur, vt doceat nos ea non iustificari. Etsi enim ij qui sine Lege peccarunt etiam sine Lege peribunt, vt ad Rom. 2. docetur, quia testimonium inscriptũ ipsorum cordibus, processum condemnationis facit: tamẽ vbi Lex non est, *da achtet man der sünden nicht*: & nobismet ipsis ignoscimus. Nam ad deò sumus propèsi ad nobis adulandũ, vt quisq; putrescat in suis vitiis, ijsque indormiat. At cùm Lex venit, velimus nolimus, detegit peccatum, vt aut humiliemur, aut manifestè rebelles & cõtumaces reperiamur, prout 7. ad Rom. fusiùs docetur,

etur. Simile: Quemadmodum si quis commaculatam habeat faciem, prodibit in publicum audacter, quia nescit se commaculatum. At proposito speculo, pudet eum, occultat sese atque latitat: sic nos, etsi ita commaculati ut cælum ipsum & terram pudeat nostri, tamen incedimus nostro more negligentes, quia peccatum ignoramus, & hypocrisis oculos nobis obligavit, ut maledictionem in qua sumus, non videamus. At Lex peccatum ostendit: Hoc facies sub pœna maledictionis. Non solum manus, pedes, oculi Legi obediât, sed cogitationes & affectus non concupiscant. Adhæc Deus tanquam iudex in throno sententiã iam pronuntiauit contra omnes transgressores. Ergo primus vsus Legis est, ut humiliati ad Christum veniamus, sic Deus condemnans nos Lege, procurat nostram salutem.

Secundus vsus Legis: Postquam ad Christum venimus, regula est gratitudinis, præterquam quod tota vita etiam postquam ad Christum venimus, nos humiliat, dum scilicet longè absumus à perfectione: extimulat etiam nos ut in pietate & iustitia proficiamus. In summa Deus vult inchoari in hac vita nouam obedientiam & nos proficere donec per ipsius Spiritum prorsus imago Dei instauretur in nobis. Ideo Ierem. 31. duplex beneficium in nouo fœdere promittit remissionem peccatorum, & quòd inscribere velit Leges suas cordibus. Et Matth. 5. docet Christus, nouam obedientiam secundum omnia præcepta. Psalmus 1. ad omnia tēpora pertinet, ut & Psalmus 119. Lucerna pedū meorum
E. iij.

verbum tuum.

Primum finem Legis diximus esse, vt sit speculum in quo agnoscamus peccata.

Secundum finem, postquam ad Christū peruenimus, vt ad gratitudinem nos instruat. Quod igitur addit, Donec veniret semen, scilicet Christus, sic intelligendum est, quòd illud regimen Mosaicum & cæremoniæ & maledictio finē habeant in Christo, vti deinde, volente Deo, plenius ostendetur.

Ordinata per Angelos in manu Mediatoris.) 1. cōmendat Legem. 2. Ex modo quo lata est Lex, ostendit non iustificationem & pacem eam adferre conscientijs, sed potiùs terrorem. 1. Legem commendat, ne quis putet eam Legem paruifacere: argumentum sumit ex eo, quòd Angelos promulgationis Legis testes esse voluerit Dominus.

Obseruatio: Necessè est excellentē esse eā doctrinam ad quam promulgandam congregatur exercitus Angelorum, vt summa reuerentia à nobis excipiatur. Ergo cū decē præcepta audis, cogita quàm reuerenter secundum ea vitam instituere debeas. Idem Actor. 7. testatur Stephanus. Suauissima nobis esse debet obedientia per Christum, qui & peccata remittit, & dat Spiritū sanctum.

Contrà obseruandum. Angelos testes fore, si Lex nobis fuerit inutilis, si nihili eā fecerimus, si eam pedibus conculcauerimus. Parati erūt ad vindicandum hunc contemptum. Neque enim sine causa factū est, vt Angeli præstò essent, cū
Lex

Lex publicaretur. Finis fuit, vt summa reuerentia reciperetur. Cùm publicè grassantur scelera, ánonn putamus Angelos fore testes, imò vindices, vti videmus in Daniele, sápe totam regionem ab vno Angelo vel defensam, vel punitam fuisse. Deinde quisque priuatim sciat Angelos vitæ suæ esse inspectores. Ideo Christus ait: Caute ne quem ex minimis his offendatis. Nam Angeli eorum intuentur faciem Patris cælestis.

Postremò, si non conuertamur & peccatorū nostrorum nos pudeat, sciamus nos coram Angelis confundendos esse. Ergo etsi totus mūdus nobis faueret, nihil tamen esset, si pergamus in sceleribus. Cur enim Dominus Angelorum exercitus adesse voluit in Lege promulganda? Certè vt pudeat nos peccatorum & humiliati ad Christum confugiamus.

In manu Mediatoris.) Ex historia seu modo quo lata est Lex, ostendit eam nō iustificationē & pacem, sed potiùs terrorem adferre conscientis. Mediator in Lege ferenda est Moses, Exod. 20. Cùm Lex per Angelos daretur, (loquebatur enim Dominus per vocem Angeli) Loquere tu nobis (ait populus) & audiemus, non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur. Et Deut. 5. Facie ad faciem loquutus est nobis Dominus in monte de medio ignis. Ego sequester & medius fui inter Deū & vos tempore illo, vt annuntiarem vobis verba eius. Timuistis enim ignem & non ascendistis in montem. Sic 8. & 9. ad Hebr. Christus tanto præstantioris testamenti dicitur Mediator, quanto præstantiores sunt

promissiones.

20 Internuntius autem unius nō est, Deus verò unus est.

Id est, Mediator est plurium & quidem dissidiū. Ergo cū Moses sit in ferenda Lege mediator, signum est, dissidium inter Deum & vos fuisse. Quorsum opus fuisset Mediatore, nisi populus fuisset trāsgressor? Deus enim, ait, vnus est, mediatore non habet opus. Sed vt populo trāsgressori Lex proponeretur, opus fuit Mediatore. Quid igitur hīc docet Paulus? Discite discrimen, inquit, Legis & Euangelii ex ipsa historia, & modo quo Lex lata fuit. Ipsamet historia Legis promulgandæ ostendet, non in Lege, sed in Euangelio iustificationem quærendam esse. Totā hęc res pulchrè tractatur, ad Hebr. 12. capit. Non enim accessistis ad contrectabilem montem & accensum igni, ac turbinem & caliginem & procellam, tubęque sonitum, & vocē verborū quā qui audierant, deprecati sūt, &c. Applice mus hęc ad vsum. Paria, imò maiora. nā si in ferenda Lege tantus rigor, tonitrua, ignis: quanto maior erit in executione plena? 2. Pet. 2. cū ipsa elementa liquefcent, &c. Nam extremum iudiciū nihil aliud erit, quàm plena executio benedictionū & maledictionum Legis. Benedictionum in iis qui finem Legis, id est, Christum benedicentem fide apprehenderunt. Maledictionum verò in omnes trāsgressores Legis, qui in Christum non crediderunt. Quemadmodum omnes Iudæi sexies centena millia præter mulieres

res

res & pueros cōgregatī oportebat, & audire vocem loquentis Angeli: nam per eum loquebatur Dominus: ita & nos omnes sisti oportet coram tribunali Christi, qui in maiestate Patris non per Angelum sed propriam vocem & in multorum millium Angelorum conspectu iudicabit, ad Hebræos 2. Si enim per Angelos dictus sermo fuit firmus, quomodo nos effugiemus? & 2. Cor. 3.

21 *Num igitur Lex addita est aduersus promissiones Dei? absit. nam si data fuisset Lex quæ posset viuificare, verè ex Lege esset iustitia.*

Alia obiectio: Deus promisit Abrahæ gratis: Lex autem non promittit gratis, sed qui fecerit, viuet. Ergo videtur Lex aduersari promissioni gratuita.

Antequam responsionem Pauli adferam, simili ostendam, nullam esse repugnantiam inter Legem & gratuitam promissionem. Si quis debitori existimati se admodum diuitem esse atque dicenti: Si modò scirem, quid deberem, in me non esset futura mora, ostēdat syngrapham antequam fideiussorem habeat, addita quidem hac conditione, Si hæc persolueris, liber esto, non tamē eo consilio quòd speret ab eo solutionem, sed vt agnoscat debitum, & ad fideiussorem confugiat. is eo ipso nihil facit contra suum decretum, quo scilicet constituerat fideiussoris solutionem acceptare: quam etiam postea re ipsa accipit. Sic etiam Deus Legē nobis proponit veluti syngrapham eius obedientiæ quam ipsi iure creationis

debemus, addita quidem hac conditionali promissione, si feceris hæc quæ iure creationis, debes, viues: non tamen eo cōsilio, quòd existimet nos soluendo esse, multò minus quòd velit nos fiduciam in opera defigere: sed potiùs eo consilio, primò vt omnibus nostris querimoniis ansam præscindat. Solent enim conqueri homines diabolica audacia, *Vvas zeicht vns gott, das er vns mit diessen straffenn heimsucht, thun mir doch vnsern Hergott, vvas mir schuldig sein. Oder vvistē mir nur vvarumb er vns strafft, vvoltē mirs doch gern alles thun.* Eo etiam consilio, vt inani nostra confidētia opus aggressi & rationibus subductis re ipsa sentiamus & experiamur, nos non esse soluendo, ideóque inani fiducia nostrarum virium deposita ad misericordiam in Christo promissam, cuiusque plenam solutionem confugiamus. Iam melius intelligemus responsionē Pauli. Ait igitur, *Absit. Nam si Lex data esset, quæ posset viuificare, verè ex Lege esset iustitia.* Argumentum est à consilio (siue intentione) Legislatoris, & à qualitate siue efficacia Legis. Si, inquit, vt pseudoapostoli volūt, Lex talis data esset, & quidem in hunc finē, vt peccata remitteret, & mortuos in delictis viuificaret, certè iustificaret, & irritas faceret promissiones atque mortem Christi, quia vita ex iustitia sequitur. At tantùm abest, vt remittat peccata, vt omnia concludat sub peccatum, in hunc finem vt promissio per fidem gratis detur.

22 *At Scriptura conclusit omnia sub peccatum,*

*tum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur
credentibus.*

Quasi dicat: Ipsius etiam Legis & totius Scri-
pturæ testimonio omnes sunt iniusti & pecca-
tores.

1. In Adamo corrupti: cur enim morimur si
absque peccato sumus?

Deinde Genes. 6, Omne figmentum cordis
humani prauum. Ideo subterfugia nostra nil nos
iuuant.

3. Sacrificia testimonia sunt dignos esse
morte, dum in semetipsis manent.

4. Experientia. Quisque ad perfectionem illā
Legis examinet vitam suam, & videbit opus sibi
esse, ut promissionem amplectatur. Isa. 43. Ego,
ego sum qui deleo iniquitates tuas Israel pro-
pter me, id est, ex misericordia, non meritis. Cer-
tè eo ipso ostendit nobis peccata nostra.

5. Imprimis verò dum Scriptura Christū no-
bis proponit iustitiam, à non eo ipso turpissi-
mos peccatores nos esse ostendit? quorum tur-
pitudine tanta est, ut sanguine Filii ablui eam o-
portuerit.

Prostremò ad Rom. 3. diffusè ostendit omnes
esse peccatores &c. Et ad Rom. 1. Deus conclusit
omnia sub peccatum, ut omnium misereatur:
id est, ut quicumque saluantur, non meritis sed
Dei misericordia saluentur.

Ut promissio daretur credentibus.) 1. Scopus cur
Scriptura toties dicat, nos esse perditos & da-
mnatos peccatores. Certè ipsa etiam tacète, per-
diti sumus. Respondeo, ut ad promissionem fide
confu

confu

confugiamus. Consolatio: Quoties audis in con-
 cione, nos perditos esse, scito ideo dici, vt scia-
 mus, paratam nobis esse opem in Christo.

2. Obseruatio. Eadem res promissa in Lege &
 Euangelio, scilicet, vita æterna. Sed modus obti-
 nendi est diuersus. Euangelium offert eam gra-
 tis in Christo. i. Ioan. 5. Hoc est testimonium,
 quòd Deus vitam æternam dedit nobis, Qui ha-
 bet Filium, habet vitam æternam.

3. Lex quæ nos terret in nobis, cõsolatur nos
 in Christo. Omni enim implenti Legem debe-
 tur vita, etiam iuxta rigorem Legis. Atqui nos
 in Christo satisfecimus Legi. i. ad Cor. i. Factus
 nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio. & ad
 Galat. 3. factus maledictio, vt nos redimeret, &
 4. Ergo debetur nobis vita, testimonio Legis,
 sed in Christo. Sic ad Rom. 3. Num per fidẽ abo-
 lemus Legem? imò stabilimus. i. satisfatione
 Christi, 2 inchoatione per Spiritum sanctum.

23 *Antequam autem venisset fides, sub
 Legis presidio tenebamur, conclusi in eam fi-
 dem, quæ erat reuelanda.*

24 *Itaque Lex pedagogus noster fuit in
 Christũ respiciens, vt ex fide iustificaremur.*

25 *At postquam venit fides, non amplius
 sub pedagogo sumus.*

26 *Omnes enim filij Dei estis per fidem
 in Christo Iesu.*

De summa versuum 23. 24. 25. tractabitur ini-
 tio capitis sequentis.

Omnes

Omnes filij Dei estis per fidem in Christo Iesu.)

Summa est: Quòdnam maius bonum esse potest, quàm filium Dei esse. Atqui hoc per fidem habetis, vt fitis filii. Ergo nolite quærere alias rationes obtinendæ iustitiæ hæreditatisque cælestis. Faceffant merita operum. Primùm obserua, quantum beneficium offeratur in Euangelio, nēpe Filium Dei fieri. Ioan. I. Quotquot receperūt eum, eis potestatem (*vollmacht*) dedit, vt filii Dei fierent. Nota: Quotquot receperūt eum: hoc explicat quid sit, Per fidem, nimirum, non historicam, sed fiduciam, amplectentem Mediatorem. Sic ad Rom. 5. Gloriamur spe glorię filiorū Dei. Pro propriis suis filiis non habet Deus. I. Ioan. I. ver. 1. 2. Hoc semen illud longæuum est, quod habet Christus. quia laborauit anima eius, scilicet patiēdo pro nobis velut pariēdo, de quo Esaias 53. cap. At Christus est solus Dei Filius. Respondeo: Coessentialis. At nos per eum adoptati: ita tamen vt ius adoptionis non sit inanis, titulus, sed omnia iura filiorum nobis communicet, adeoque Filio simus infiti: regamurque ipsius & Patris Spiritu, quod in nulla huius seculi adoptione cōtingit. ad Rom. 8. ver. 15. 16. 17. 32. Plus est dum Filium pro nobis dat & nos in eo adoptat, quàm si totum mundum nobis daret. Et ne quis cogitet, si merear, ero filius. Respondet: Non, sed per fidem in Christum iam estis: ad Ephes. I. Fecit nos dilectos in dilecto. Pauci cogitant se esse filios Dei, ideo non cōfidunt Deum necessitati eorum velle succurrere. Contrà, qui credunt huic promissioni, Omnes qui credunt

sunt filii Dei, ij omnia bona à Deo expectant. Quanta miseria si diuitis filius nesciat se filium esse. Quis vestrum est, si filius panem petat, qui ei det lapidem? ait Christus.

27 *Nam quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Vult probare nos esse filios Dei, & sub gratia, non maledictione Legis. Ratio est à testimonio Baptismi. Ij sunt filij Dei, qui cum λόγῳ æterno Dei Filio sunt coniuncti. Atqui testimonio Baptismi Christum induistis, siue cum eo cōiūcti estis. Ergo estis filii Dei.

Dupliciter induitur Christus, i. induite vniuersam armaturam, & induite Dominum Iesum Christum, dicitur ad Ephesios: id est, viuite vitā Christi. 2 Induere Christum est inseri & acceptari in κοινῶνίᾳ Christi, ideóque donari ipsius obedientia, vt ea peccata nostra tecta in conspectum Dei non veniant: & Deus in nobis nihil videat, quàm Christum, quàm suūmet Filiū. 1. Cor. 12. vers. 12. 13. De hac re posteriore hīc agit. Videamus 1. Quomodo in tentationibus consolari nos debeamus Baptismo. 2. Quandiu duret testimonium Baptismi, scilicet ad sepulchrum vsq;.

1. Intuere mandatum & Promissionem Christi Marci 16. & Matth 28. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. *das vndt kein anders.* Ego credo & baptizatus sum. atque ita testimonium diuinæ promissionis & meræ fidei in corpore gesto. Ergo saluus ero.

2. Ex hoc loco ad Galatas, sic te cōsolare Baptismo.

ptismo. Quotquot baptizati estis (& creditis) Christum induistis. Nam antè dixit, per fidem & tanquam veste induti estis Christo eiusque iustitia & merito. Atqui ego credo & baptizatus sū. Ergo Christum indui vt puram vestem. Quem admodum in Apocalypsi dicitur, fideles lauiffe stolas in sanguine agni. Applicemus porrò hæc ad vsum nostrum. In precibus mille peccata nos turbant, & sordes, ne prodeamus in Dei conspectum.

At venimus in persona Christi, ac si Christus ipse veniret. Obluisci oportet, vel superare potius fide omnem immunditiam, & certum esse nos Christum induisse. In summa: ac si Christus ipse compareret in propria persona. Baptismus enim testimonium est veræ nostri cum Christo coniunctionis. Sicut 1. Cor. 12. ait, Per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati sumus: vt Spiritus sancti tantam coniunctionem adscribens, baptismum vt eius minimè fallax testimonium non omittit. Christus igitur ipse, vt vestis nostras tegit maculas. Simile vt Isaac benedicebat Iacobo induto aliena veste.

2. Quandiu durat illa cōsolatio sumpta à Baptismo?

Respōdeo, vsque in sepulchrum gestamus testimonium gratiæ & fidei siue fœderis inter Deū & nos in nostro corpore, & illud fœdus æternū est. Galatæ post Baptismum peccauerant, reuocat tamen eis Baptismum in memoriam.

Pontificii vim Baptismi ad ea peccata restringunt, quibus quis ante Baptismum cōtaminatus

F. j.

fuit, vt in infantibus peccatum originis: in iis vero qui adulti baptizantur, & ad originale ipsorum peccatum, & ad ea quæ perceptionem Baptismi antecesserunt: quæ consequuntur propriis satisfactionibus esse eluenda. At Galatæ post susceptum Baptismum sæpe, & quidem grauius peccauerant: quia, inquit, fascinosos fuisse, vt veritati non crederent: adhuc inuicem mordebant. quãobrem, ait, Videte ne inuicem consumamini. Hæc post Baptismum acceptum magna peccata erant. Erigit nihilominus eorum fidem Baptismo. Et sanè & illi ad quos Ioannes scribebat. I. Epist. 2. cap. baptizati erant: Filioli mei hæc scribo vobis ne peccetis. Quod si quis peccauerit, aduocatum apud Patrem habemus (en semetipsum comprehendit) Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi. & cap. 1. vers. 7. dixerat, Sanguis Iesu Christi Filii Dei purgat nos ab omni peccato. En, ab omni, nõ tantum originali. Simile. Vt arcus cælestis signum fœderis inter Deum & vniuersum genus humanum consolatur nos, quoties tempestas aliqua aut pluuia minatur exitium: ita Baptismum aquæ in corpore nostro gestamus, signum fœderis à Deo ordinatum, (Quod docet Dominus dum etiam Ioannis Baptismum non ab hominibus, sed è cælo esse ait.) vt in omnem vitam coniunctionem nostram atque *κοινωνίαν* cum Christo pro nobis mortuo & excitato ex Dei voluntate nobis testetur, atque in eo & per eum fruitionem gratuitam bonorum eius omnium.

omnium. Non igitur angustioribus finibus Baptismus quàm Christus circumscribendus est: quando hunc in eo induimus: non angustior vis eius quàm mortis & resurrectionis Christi, in quam Baptismus respicit, ad Rom. 6. ver. 1. 2. 3.

28 *Non est Iudæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus ac fœmina. omnes enim vos vnus estis in Christo Iesu.*

Excludit omnẽ respectum dignitatis aut meriti in causa iustificationis. Nam omnes per fidẽ qua vniti sunt vnico capiti Christo vnum corpus censerent, ideóque æquẽ iustificari. Etsi enim Euangelium politias non tollit, tamen iustificationem credentibus ex æquo offert & exhibet.

Applicemus hæc ad vsum. Seruus æquẽ iustificatur si credat, atque dominus, Nam Christus æquẽ venit vt seruiret seruo tuo atque tibi. Marci 10. & Matth. 20. Quemadmodum ait: Filius hominis non venit, vt seruiretur ipsi, sed vt seruiret, darẽtque animam suam in λύτρον, siue pretiũ redemptionis pro multis. Vix vllus seruus, nedum dominus ita vellet seruire alteri, vt animã suam daret λύτρον pro altero, ad Rom. 5. Christus tamen eo vsque seruus noster factus pro multis, pro omnis generis hominibus, cuiuscunque sexus aut conditionis in ipsum credituris. Itẽ non vnã guttã sanguinis plus pro te effudit, quàm pro tua familia. Caue igitur sicut Romanos admonet, ne eum offendas pro quo Christus mortuus est. Item Iudæus è stirpe Abraham nõ ma-

gis iustificatus, quàm nos. Nec nos meliores quàm credentes ex Iudæis. Et Abraham non magis iustificatus, quàm tu aut seruus tuus, nec opifex aliquis minùs iustus quàm Abrahã, quia vnus sumus in Christo Iesu. Peregrinus in Christũ credens æquè membrum Christi atque nos. Si igitur Dominus monet quoslibet peregrinos non esse cõtēnēdos, quia memēto quòd & tu serueris in terra Ægypti, multò magis peregrini qui nobiscum vnum corpus sunt in Christo, fouendi sunt, quia & nos fuimus in seruitute illa plusquam Ægyptiaca, ex qua multi discedunt Evangelii causa, qui domi possent commodiùs viuere secūdum carnem. Sic omnino accidit Iudæis. Videbatur iis mirum peregrinas gentes participes esse gratiæ. In sūma docere vult Paulus, nos natura æquè corruptos esse, & quemadmodum omnes æquè nudi nascimur, & nudi redimus in terram, siue diuitibus parentibus nascamur, siue pauperibus, ita etiam omnes siue diuites sint, siue pauperes, nudi sistentur corã tribunali Christi, si non credant: contrã omnes fideles cuiuscūque sint conditionis, eadem erunt vestiti iustitia. Hi non reperientur nudi quia Christum induerunt per fidem. Qui hanc vestem habet, siue ancilla sit, siue domina, siue seruus, siue dominus, placet Deo, & iustificatus est. Contrariã sententiam eorum qui meritis fidunt, si etiam videre vis, lege Matth. 20. Ii omnibus tēporibus fremuerunt, vt illi operarii: nos pondus & æstum diei portauimus, & his tantum das, quantum nobis.

29 *Quòd si vos estis Christi, nempe Abrahæ semen estis, & secundum promissionem hæredes.*

Ratio. Quia non omni femini, quod ab Abrahamo natum, facta est promissio. nam Ismael, & Esau reiiciuntur: sed femini quod est Christus, & omnibus membris veri illius feminis, ad Roman. 4. Abraham hæres mundi, & nos cum eo.

CAPVT IIII.

1 **H**oc autem dico: *Quandiu hæres est infans, nihil differt à seruo, quanuis sit dominus omnium:*

2 *Sed sub tutoribus & curatoribus est usque ad tempus quod pater præfinierit.*

3 *Ita & nos, quum essemus infantes, sub elementis mundi eramus in seruitutem reducti.*

4 *At postquam venit plenū tempus, emisit Deus Filium suum factum ex muliere, factū Legi obnoxium,*

5 *Vt eos qui Legi erāt obnoxij, redimeret, vt adoptionem acciperemus.*

Ostendit nos liberatos à legis coactione eiusque maledictione, idque volūate & ordinatione diuina. Declarat hanc Dei œconomiam simili. Quemadmodum tutores aliter alunt puerum, antequam ad maturam ætatē per-

F. iij.

uenit, & testator etiam id etiã vult, vt minus pecuniæ habeat & aliquid patiat: ita Dominus populum Iudaicum sub pædagogia Legis velut sub tutore enutriebat, sub rigore & seruitute, & minis Legis continebat, donec venisset promissum semen. dabat quidem tantum gratiæ, quantum sufficiebat, sed non tam amplas diuitias spirituales effundebat vt nunc facit, postquam adoleuit Ecclesia, Christo iam in carne reuelato. Multi putât Deum mutabilem: pœnituisse eum vt hominem, cogitasse primùm se per pecudum sanguinem velle tollere peccatum, cum hoc videret non succedere, inuenisse meliorem sanguinem, nempe Filii sui. Hæ cogitationes sunt vanæ. Nam typi illi & vmbra ducebant eos ad sacrificium Christi, quanuis obscuriùs, quò nostra Sacramenta nos ducunt clariùs.

Obserua, duas esse in Christo naturas, primò diuinam, dum ait, Misit Filium. Ergo Filius priùs erat antequam mitteretur, vt assumeret humanam naturam. Et verbũ quod in principio erat, nõ est sonus euanesceus, sed *consans*, siue persona subsistens à Patre ab æterno genita, ad Heb. 1. Ioan. 1. Summa cõsolationis. Quòd ipse Filius Dei habitans in carne nostra liberos nos reddit à maledictione Legis. Et quanuis hïc dicitur, Deus misit Filium, tamen idem Filius, qui mittitur, cum genitus sit è substãtia Patris, Deus est, vt Ioannes ait, Et verbum illud erat Deus. Et 1. Tim. 3. Magnum pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne. 2. Docetur hïc humana Christi natura. factum ait ex mulie-

re.

re. Nomen mulieris sexum denotat. Verbū, Factum, non cælitus venisse carnem, sed ex semine mulieris esse assumptam. Sicut in prima promissione Scriptura loquitur, Semen mulieris concubabit caput serpentis, & tu mordebis ei calcaneum. Id ut fieret oportebat humanam naturam à persona τῆ λέγου in unitatem suæ personæ assumi. Nam ut quidam ex veteribus scitè dixit, Solus Deus mori non poterat, solus homo mortem vincere, siue conculcare caput serpentis non potuisset.

Itaque D. Ioānes I. cap. similiter ait, Et λόγος factus est caro : factus est id quod antè non erat, nempe caro, & mansit id quod erat nempe λόγος Deus, sicut Ioannes ait, Et λόγος ille erat Deus.

Atque hac Spiritus sancti phrasi, factus est caro, factus ex muliere, primùm admiranda illa omnib⁹ Angelis & hominibus humiliatio, imò ex inanitio τῆ λέγου, ut eā vocat Apostolus ad Philip. 2. (natura interim ipsa salua manente) mirificè exprimitur. Deinde etiā arctissima illa copulatio siue unitio, qua nullæ res sūt magis nec erunt unquā unitæ, qua fit ut Deum ipsum dicamur in carne manifestatum videre. λόγον verbum vitæ; Ioannes affirmat se vidisse atque palpasse, saluis interim manentibus vtriusque naturæ proprietatibus essentialibus. Quamobrem etiam diuus Petrus Christum passum dicit, sed carne. Item in Act. Deum redemisse Ecclesiam proprio sanguine. Nam qui Christum venisse in carne negat, Spiritus Antichristi est. Inconfusæ igitur atque saluæ & naturæ & earum essentialis proprio

F.iiij.

tates manent. Nā Christus venit, & venit in carne. Sic ipse Christus, Destruite templum hoc, & ego triduo excitabo illud. Distinctum manet templum corporis, quod destruitur ab eo, qui in ipso *σωματικῶς* habitat, & excitat illud.

2. Addit Paulus utilitatem duarum naturarum in Christo, vel missionis Filii in carnem.

1. Utilitas. Subiectus, inquit, Legi, ut nos à Legis iugo & maledictione redimeret. inde collige quā sancta sit Lex Dei, dum ipse Filius ei subiectus est. Primū enim magna Legis sanctitas, quòd nihil in ea mandatum, cui Deus ipse in carne manifestatus non velit esse conformis. Deinde quanuis Filius sit Dominus Sabbathi, atque ita totius Legis, (eadem enim est ratio) tamē ad perfectam & internam & externam sanctitatem siue obedientiam, qualem Lex requirebat, vltro se obligat: & hoc est quod Paulus hīc ait, Factus sub Legem, ut victima plena sanctitate profusa suaueolēs esset coram Patre, & vim haberet nos à rigore & maledictione Legis, quibus tenebamur constricti, redimendi. Et hoc est quod Paulus hīc ait: Ut eos qui sub Lege erāt redimeret. Primū enim quanuis, ut eternus *λόγος*, Legis Dominus ei subiectus non esset. Deinde etiam quatenus erat semen Abrahæ cui facta erat promissio hæreditatis cælestis (ad Galatas 3.)

Ne sic quidem Legi subiectus esset, quando ea nō sub conditione implendæ Legis ipsi in lūbis Abrahæ facta erat, sed gratis toti semini, quod est Christus, capiti cum membris: atque ita quatenus semen Abrahæ erat cui gratuita facta

cta

Etā erat promissio, non tenebatur quōque Legi subici. quia & quatenus caro illa vnita erat *ἦν λόγος* etiā quoad carnem, natura erat Dominus Legis, cuius vnionis respectu ipse ait, Filiū hominis esse Dominum Sabbathi: nec humanæ naturæ, vt capiti neque ipsius membris sub conditione implendæ Legis promissa erat hæreditas: quia autem benedictio remissionis peccatorū, donationis Spiritus sancti atque ita hæreditatis cælestis ad nos peruenire non poterat nisi iusta maledictione mēbrorum feminis sublata, cursum nimirum Dominicæ misericordiæ retinente ipsius immutabili iustitia: & nobis ipsis iustis rigoris & maledictionis Legis vinculis constrictis: en cur Dominus Legis, voluerit seruus fieri, ad Rom. 14. ad confirmandum scilicet promissiones Patrum. Eæ autem erāt gratuitæ sicut hīc ait, Vt adoptionem acciperemus, & paulò post: Quòd si filii igitur & hæredes per Christum.

2. Vtilitas, vt adoptionē acciperemus, inquit. Ioā. 1. Ergo quia Christus ex muliere iam factus est frater noster, mortuus & excitatus, & in eum credimus, ideo iam accepimus adoptionem filiorum Dei, vt antè Galat. 3. dictum est. Omnes estis filij Dei.

6 Quoniam autem estis filij, emisit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, clamantem, Abba, id est, Pater.

3. Vtilitas. Missio Spiritus sancti in corda nostra. Ait, Quoniam estis filii, misit Deus Spiritū Filij sui in corda vestra. Obserua. Pater & Fi-

lius habitant in nobis per Spiritum, qui est eiusdem cum Patre & Filio essentia. Ergo dum Spiritus in nobis habitat, Pater & Filius in nobis habitant, secundum promissionem Christi: Ego & Pater veniemus & mansionem apud eum faciemus. 2. observa. Hodie adhuc dari Spiritum sanctum per praedicationem Euangelii: ad Ephes. 1. vers. 13. Etsi enim visibilia dona non effundat: tamen illud donum, de quo hic loquitur, nempe fidei & regenerationis semper effundit in electos usque ad consummationem seculi.

3. Observa. Quod non ait, Misit Deus e caelo carnem Filii sui in corda vestra, sed ait, Misit Spiritum Filii sui in corda vestra. Ideo Ioan. 16. absentiam suam carnalem utilem hoc nomine fore dicit, nisi enim abiero paracletus non veniet. Ergo praefert spirituales praesentiam carnali.

Tertullianus in libro de Resurrectione carnis: Christus Sequester Dei & hominum appellatus, ex utriusque partis deposito commisso, sibi carnis depositum servat in semetipso arrham totius summæ. Quemadmodum enim arrhabonem Spiritus nobis reliquit, ita arrhabonem carnis a nobis accepit, & vexit in caelum, pignus summæ aliquando eò redigenda.

4. Observatio. Vnde cognoscamus, nos habere Spiritum sanctum. Ex fiducia, qua audemus Deum patrem invocare. At luctandum mihi est cum multis dubitationibus, Respondet Paulus ad Romanos 8. Spiritus sanctus vna subleuat infirmitates nostras, quid enim precemur, ut oportet non novimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis

nobis suspiriis inenarrabilibus. Pugnemus igitur contra diffidentiam & illusiones Satanæ. Et principium hoc teneamus, etsi fides infirma sit, tamen Euangelium promittere, Deum esse nostrum Patrem per Christum. Tandem sentiemus augmentum gratiæ, vt ad Rom. 5. Effusa est dilectio Dei per Spiritum sanctum in corda nostra. Nam si iniquus iudex tandem exaudit viduam quæ instabat: quomodo Pater cælestis non exaudiret filios suos nocte ac die ad eum suspirantes? Nam etiam si videantur infirma esse suspiria, tamen textus hic ad Galatas vocat clamorem, id ipsum quod ad Rom. 8. vocat gemitus inenarrabiles. Et etiam si interdum vix sciant quid precari debeant, tamen & Spiritus sanctus excitat illos gemitus & Deus nouit mentem sui Spiritus.

7 Itaque non amplius es seruus, sed filius: quod si filius, etiam hæres Dei per Christum.

Concludit te fidelem non amplius esse seruum, qui teneatur constrictus sub rigore & maledictione Legis, sed esse filium, cui non operibus primum acquirenda sit hæreditas, sed qui iam hæres sit per Christum, cui facta est promissio, & in ipso omnibus credentibus.

Si possemus cogitare, quanta res sit hæredem esse ipsius Dei, essemus patientes, omnis crux suauius, corda nostra sursum ferrentur, ad Colof. 3. vers. 1. 2. Non dicit, fortasse eris hæres, sed iam es hæres.

8 Imò tum quidem ignorantes Deum, seruibatis iis qui natura non sunt dii.

9 *At nunc cum cognoscatis Deum, imò potius edocti sitis à Deo: quomodo conuertimini retrorsum ad impotentia & egena elementa quibus retrorsus ab initio seruire vultis?*

Non mirum vos tum errasse: at nunc pro pudor, Deus panaceus, natura non est Deus. Nos igitur tum ignorabamus. Deum, cum in eum crederemus

1. Observatio. Quæ sit vera, Dei cognitio: cum scilicet Deum in Christo ita reconciliatum agnoscimus, ut eo unico Christo contenti, fiduciam à rebus aliis omnibus tanquam infirmis abstrahamus, ut dicitur ad Colo. 2. vers. 10. In eo (Christo) completi estis. Contra ubi fiducia in res externas collocatur, & remissio peccatorum in illis quaeritur, ibi vera Dei cognitio non est, sed idololatria. Ideoque Augustinus quidem ait, ut signa pro rebus, quæ significantur, accipere seruilis infirmitatis est: ita inutiliter signa interpretari maleuagantis erroris est. Quod si hodie signorum adorationem & cultum videret, non seruitutem duntaxat plusquam Ægyptiacam, sed idololatriam esse fateretur, non minorem ea qua colebatur serpens æneus, Sacramento Christum in deserto præfigurante, in abominandum idolum conuerso. At cum Augustinus dicat, Sacramenta pro signis inanibus ducere, male vagantis erroris est, cur Paulus circumcisionem & similia veterum Sacramenta atque caeremonias vocat egena elementa huius mundi? Respondeo, Ob duas causas, primò quia aduentu Christi erant abolita. Finis enim eorum,

eorum erat partim vt testificarentur de Christo venturo, partim vt sub tali pædagogia conseruaret etiam politiam vsque ad eius aduentum. Deinde quia in illis operibus quærebatur iustitia, vel pars iustitiæ, quam Christus solus præstat omnem & in solidum. Meritò igitur impotētia & egena elementa vocat, quibus retrorsus ab initio seruire volebant. In nostrorum Sacramētorum abusu licet prior ratio locum non habeat, (constant enim vsque ad secundum Christi aduentū) altera tamē militat eo fortiùs, quo maius sacrilegium est in tanta luce quicquam de honore Christi detrahere: tantū autem detrahitur quantum visibilibus testimoniis adscribitur iustitiæ, atque vitæ, quam omnem in Christo solo nobis dari diuina institutione testificantur. Vt ex ipsis Dei testimoniis falsos testes efficiant, qui nō dico omnem, sed partem iustitiæ testimonio de Christo testificanti contra ipsum testimonium & contra Christum adscribunt. Ergo in iis qui hæc non mutant nec horrendas superstitiones deponunt, in iis, inquam, vera Dei cognitio non est.

2. Dum ait: Vel potiùs, cogniti estis ab eo, obserua vnde profiscatur Dei cognitio. Non ex merito, sed ex gratia. Deus nō expectat dum ad se veniat homo, & veniam petat, sed vtrò obuiã it, vt in Adamo videmus: Deus ad eū vtrò venit. Isa. 65. Inuētus sū à nō quærētibus &c. Filius Dei descēdit de cælo vt nos quærat. Id in nobis omnibus verū esse scimus. In sūma nos nō priùs di-

leximus eū, sed ipse prior dilexit nos. Ita & nos non cognoscimus eum priores, sed ipse cognouit nos, & dedit se nobis agnoscendū. Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Ideo etiā totus homo nō regenitus vocatur tenebræ, quia nulla vera & saluifica Dei cognitio à nobis ipsis est.

10 *Dies obseruatis & menses & tempora, & annos.*

11 *Metuo de vobis ne frustra fatigatus sim apud vos.*

Exempli causa, infirma aliquot elementa profert. Deus festa in veteri testamento constituerat, quæ essent pars cultus Dei pro beneficiis præteritis & exhibitis, ac simul testimonia de Christo venturo.

Obseruatio. Quando in nouo testamento feriæ pro parte cultus Dei obseruātur, tum superstitio est, & Paulus ait, metuere se ne frustra laborarit. Naturæ ordinem & reipub. quoad nouilunia & distinctionem anni non reiicit Paulus. Nam Dominus Genesis 1. vsum hunc statuit, & Genesis 9. dixit ea fore perpetua ad finem vsque mundi.

Ne frustra laborauerim.) Agricola frustra laborat, dum non fructum fert terra. Ad Hebr. 6. dicitur, Terram, quæ recipit pluuiam matutinā & vespertinam & profert tribulos, tandem igne comburi. Tales plerique sunt qui fidūt operibus Matt. 21. Meretrices quæ Ioannem audiuerunt, egerunt pœnitentiam. Pharisei verò non item.

2. Cor.

2. Cor. 6. Hortor vos ne gratiam Dei frustra receperitis.

Applicemus hæc ad nostrum vsum. Cùm nos ægre feramus tolli festa sanctis consecrata & idola, certè metuendum est ne Euangelium frustra receperimus.

In Euangelio lege, quod Marci 12. scribitur. Deus miserat in vineã seruos & occiderunt eos, nempe Prophetas. Postremò misit Filium suum & cogitabat, saltem eum audient: & occiderunt eum quoque, quid putatis Deum eis facturum? adducet exercitũ & latrones illos perdet. Quod cum illis factum, idem & nobiscum fiet. Obiectio. At Isaias ait: Sicũt pluuia non redit vacua, ita nec verbum meum. Quomodo igitur metuit ne frustra laborarit? Respondeo: Frustra dicitur quis laborasse cùm non is succedie fructus, qui meritò sperabatur. 2. Deinde Verbum Dei nõ redit vacuum, etiamsi iusto Dei iudicio puniat populum. Nam prædicatur iis in testimonium.

12 *Estote quasi ego: nam ego sum quasi vss. Fratres rogo vos, nihil mihi fecistis iniuria.*

Mitius iam eos alloquitur. Cùm ipse aliud nihil spectet, quàm ipsorum salutem, ergo vicissim se præbeant dociles & obedientes.

Nihil mihi fecistis iniuria.) Acerbum est reprehendi, ideo suspicantur homines ex ira vel odio proficisci reprehensiones. At, inquit, vos nullam mihi fecistis iniuriam, quare non propriam

vindictam quero dum vos reprehendo. Chirurgus non odit ægrotum, dum aperit vlcus, imò si odisset, abstineret à labore.

13 *Nostis autem me per infirmitatem carnis vobis prius Euangelizasse.*

Reducit hoc eis in memoriam duas ob causas. 1. vt sciant Apostolum eos vicissim diligere. 2. vt pergant veritatem sequi vti cœperant.

Et quanuis secundum mundum fuerit contemptus, tamen id non obstitisse dicit quominus eum amarint.

14 *Et experimentum mei quod fiebat in carne mea, non pro nihilo habuistis, neque respuistis, sed me vt Angelum Dei, vt Christum Iesum excepistis.*

15 *Quæ igitur erat beatitatis vestrae prædicationis? testimonium enim reddo vobis, vos, si fieri potuisset, oculos vestros effossos duros mihi fuisse.*

16 *Itaque num inimicus factus sum vobis dum vobis vera loquor?*

17 *Depereunt vos non bene, imò excludere nos volunt, vt se depereatis.*

18 *Sed præclarum est vehementer amare in re bona semper, & non solum dum præsens sum apud vos.*

Quemadmodum per Angelorum ministerium (non tamen vt adorentur: ad Hebr. 1. nam neque ministros verbi adoramus) multa bona nobis confert

confert Deus: ita & eximium illud bonum & lō
gè maximum, nempe doctrinā vitæ æternæ per
ministros. Ioan. 6. Tu habes verba vitæ, quò ire-
mus?

Tanquam Christum Iesum.) Lucæ 10. vers. 16.
Christus ipse ait: Qui vos audit, me audit, qui
vos spernit, me spernit, qui autem me spernit,
spernit eum qui misit me. 2. Cor. 5. Quia legatio-
ne fungimur pro Christo. Consolatio. Si Chri-
stum audires tibi dicentem, remissa tibi sunt pec-
cata, tum crederes. At per veritatis ministros
prædicatur adhuc hodie Christus: Deus faxit, vt
ipsius virtutem sentiamus. Ecce ego vobiscum
sum omnibus diebus vsque ad cōsummationem
seculi.

Dum Minister tibi ad lectum mittitur, qui te
consoletur, certè præsentem virtutē ipsius Chri-
sti te consolantis per Ministrum debes agno-
scere.

19 *Filioli mei, quos iterum parturio vsque
quò formetur Christus in vobis.*

20 *Velim autem nunc adesse apud vos,
& mutare vocem meam, quoniam hesito in
vobis.*

21 *Dicite mihi qui sub Lege vultis esse,
Legem non auditis?*

22 *Scriptū est enim: Abrahamum duos filios
habuisse: unum ex ancilla, & unū ex libera.*

23 *Sed is qui ex ancilla natus est, secundū
carnem natus est: qui verò ex libera per pro-*

G. j.

missionem.

24 *Per quæ aliud figuratur. Nam hæ sunt
duæ illæ pactiones, una quidem quæ est Agar,
ex monte Sina, generans prolem ad seruitutē.*

25 *Sina enim mons est in Arabia, pari au-
tem serie respoudet ei Ierusalem, quæ nūc est,
seruitque cum filijs suis.*

Testimonio ipsius Legis eos vt filios summo
ac plusquā materno affectu redarguit, nō rectè
ipfos facere, qui per fœdus legale iustificari ve-
lint, non per promissionem siue fœdus gratuitū.
Dum ait, Agar & Saram, & ex vtraque genera-
tionem, ex illa in seruitutem, ex hac in libertatē
fuisse duo fœdera siue pactiones: intelligit fuisse
testimonia diuina ipsam Agar & Saram cum
suis filiis. Duo, inquam, testimonia diuina docē-
tia sua analogia atque ob oculos ponētia vtriuf-
que fœderis naturam & effecta quæ edunt in fœ-
deratis.

26 *Sublimis verò illa Ierusalem, libera est,
quæ est mater omnium nostrūm.*

Loquutus est de Lege, quatenus est fœdus pro-
mittens vitam sub conditione perfectæ obediē-
tiæ, & maledicens trāsgressoribus: & eatenus di-
stinguitur à promissione gratuita in Christo er-
ga credentes, quæ est fœdus gratiæ. Ergo de Le-
ge egit eo sensu quo iustificatio ex ea quæritur,
quatenus eius operibus mereri volunt homines
vitā æternam, eiusmodi pactum à gratuita pro-
missione distinctum non alios quàm seruos po-
terat

terat gignere. Alioqui Lex (quatenus cōprehen-
dit doctrinam de Christo) generavit, sed virtu-
te promissionis in quam respiciebat, veros Dei
filios. Dixit veterem pactiōem siue Legem in
mōtē Sina latam, similem esse ancillę Agar, quę
seruos habeat filios, tales esse Iudæos, in inferio-
re hęc Ierusalem, quod respondeat monti Sina,
iustitiariorum.

At pactiōem nouam siue Euangelium conti-
nere doctrinam de Christi merito, & simile ef-
se Sarę, quę habuit promissionem & non Agar,
peperitque filios liberos, & tales sunt qui fide iu-
stificantur. Sarę itaque liberę respondere Ieru-
salem, quę è cælo est, & nouam pactiōem cum
Ecclesia, quę habet mysterium Euangelii è cæ-
lo patefactum, & quia verbo Euangelii gignun-
tur in Ecclesia Dei filii virtute cælesti & in ci-
ues regni cælestis cooptantur, dicitur mater o-
mnium nostrum.

Applicemus doctrinam ad nostrum vsu-
m. Quomodo veri filii Dei à falsis sint dignoscen-
di. Falsi filii, liberum arbitrium in ore habent,
merita, satisfactiones, & sic inflati sunt præsum-
ptione. At nos promissionem habemus, qua te-
statur nobis Deus, se in miseria nostra nos respe-
xisse, esseque nostrum Patrem, & hæreditatem
cælestem nos expectare non propter nostra me-
rita aut vllius creaturę, sed quia Filius propter
nos homo factus, eam nobis sanguine suo ac-
quisiuit. Et ita nullum adferimus meritum, sed
solummodo recipimus, quod Deus in Christo
gratis offert & donat. Et quod Christus non di-

G.ij.

midia ex parte, sed in solidum noster sit saluator.

27 *Scriptum est enim, Latere sterilis quæ non parit: erumpe & clama quæ non parturis, quoniam plures sunt liberi deserta, quàm eius quæ habet virum.*

Sequitur probatio, veros filios gigni prædicatione Euangelii. Alloquitur Ecclesiam Israeliticam, quæ veluti vidua erat, quia Deus diuortium ab ea fecerat propter peccata, eamque in captiuitatem Babylonicam relegarat. Dicit autem fore vt multos accipiat filios Dei, nimirum prædicatione gratiæ Christi, non solum ex stirpe Abrahamæ, sed omnibus gentibus. In nobis impleta est hæc Prophetia, qui Euangelio per Dei gratiam credidimus, vt nõ solum titulo simus, Dei filii, sed coram Angelis suis etiam tales nos pronuntiet. Et vbicunque sonat pura doctrina Euangelii, eo tanquam semine regenerat sibi Deus filios.

Quoniam autem Ecclesiam viduam vocat, hinc discendum, non ab externa pompa, vt in Papatu, metiendam esse Ecclesiam, imò practicemus hæc doctrinam, quæ Matth. 10. extat, Nos odio habendos à mundo. Nos serui non sumus meliores magistro. Et sciamus quemadmodum Christus afflictus fuit. Isa. 53. vt nulla forma esset in ipsius facie, quæ placeret Iudæis, ita vt Pilatus dicat: Ecce homo: sic & Ecclesia ipsius sponsa & membra conformia ei erunt in hoc mundo vt nulla in iis sit forma, sed misera facies & congeries multarum calamitatum.

simus

simus quòd Deus nos agnoscat pro filiis etsi mū-
 dus nos oderit. Orandus etiam est Deus, vt cō-
 feruet reliquias, quæ repullulent, vti fecit tem-
 pore Isaia.

*28 Nos igitur, fratres, secundum Isaac, pro-
 missionis filij sumus.*

Id est, quia ipsius beneficio credimus promif-
 sioni in semine benedicto, Ergo in eodem fœde
 re filiorum Dei sumus. In precibus publicis ora-
 mus, vt Deus sit memor sui fœderis cum Abra-
 hamo, Isaac & Iacob. Ergimus fidem cogitatio-
 ne promissionis & iuramenti Dei, quòd simus
 filii per fidem in Christum.

*29 Sed quemadmodum tunc is qui secun-
 dum carnem genitus fuerat, persequebatur
 eum qui natus erat secundum Spiritum: ita &
 nunc.*

*30 Sed quid dicit Scriptura: Eiice ancillam
 & filium eius: non enim hæres erit filius an-
 cillæ cum filio liberæ,*

*31 Nempe, fratres, non sumus ancillæ filij,
 sed liberæ.*

Secūdam Spiritum, id est, virtute promissio-
 nis: tamen ex carne Abrahæ & Saræ.

Obseruatio. Iustitiani spurii persequuntur ve-
 ros Dei filios. Et Pharisæi Christum perseque-
 bantur. primogenituram obtendunt Papistæ, vt
 Ismael. Consoletur quòd foras eiicientur Epi-
 scopi, Cardinales. Genes. 21. Irrisor promissionis
 erat Ismael. Cū autē eiusmodi videmus, certè

G. iij.

si vera mēbra filii Dei sumus, cum eo dicemus:
Zelus domus tuæ comedit me, Psal, 69.

CAPVT V.

1 **I**N libertate igitur qua Christus nos liberavit perstate, & ne è contrario implicamini seruitutis iugo.

Admonet vt in ea libertate persistant, qua Christus eos liberavit, nec seruitutis iugo subiiciantur. De libertate conscientia loquitur, non de libertate politica.

Quibus partibus constat cōscientia libertas? Respondeo: Tribus. prima est libertas à cæremoniis & ritibus Iudaicis: in Actis nominatur iugum, quod neque Apostoli, neque patres ipsorum ferre potuerunt. Item à quibus omnibus nō potuistis iustificari per Legem Mosis, ab his iustificatur omnis qui credit in eum.

Applicatio. Nullus hominum potest conscientiam nostram grauare cæremoniis. Ita etiam liberè & bona cōscientia cibis & aliis rebus uti possumus cum gratiarum actione, nec quisquam potest grauare in eo nostram conscientiam.

2. Libertas quæ præcipua est, est testimonium Spiritus sancti, quòd non solum in sepulchrum vsque, sed in æternum liberati sumus à rigore & maledictione Legis, & hoc est liberatum esse à peccatis dū maledictione sublata ea nobis nō imputantur. Parta nobis est sacrificio Christi quod in æternum vim suam retinet, siue ea est, quòd certi

certi sumus Deum in æternum non irasciturum
cōtra nos. Ioan. 8. Verè liberi eritis, si Filius vos
in libertatem vindicauerit. Atqui vindicauit nos
in libertatem. Zachar. 9, & Dan. 9. Vngetur Mes-
sias, & adducet sempiternam iustitiam.

Euangelium huius libertatis est nuntius. Luc.
4. Vt annuntiem captiuis libertatem. Esa. 61. idē
docetur. Atqui captiuitas erat æterna: ergo & li-
bertas æterna, Item ad Titum, Liberauit nos ab
ira ventura. Ergo libertas certa est etiam coram
extremo iudicio, maledictionem esse sublatam.
Et sanè Euangelii nuntius ex 1. Cor. 15. sumi po-
test. Quoniam Christus resurrexit, non amplius
estis in peccatis vestris. Et Rom. 5. Si cū inimi-
ci essemus, reconciliati fuimus per mortem Filii
eius, multò magis reconciliati seruabimur per vi-
tam ipsius. Ad Roman. 8. Nulla condemnatio in
his qui sunt in Christo Iesu. Psal. 89. Misericor-
diam meam non auferam ab eis. Et Esa. 54. Mife-
rationibus æternis colligam te, nec irascar tibi
amplius.

3. Pars libertatis. Quod etiam opera tua scis
placere Deo tectis eorum sordibus, quia vt pa-
ter à filio ea suscipit, tectis peccatis. Porro con-
sidera quàm pretiosa sit hæc libertas.

1. Si cogites quàm dura sit seruitus æternæ ma-
ledictionis & sub diaboli potestate, contrà sen-
ties, quàm suavis sit libertas filiorum Dei æterna.

2. Ex pretio, quo constitit, sanguine Christi.
Pretio empti estis nolite fieri serui hominum,
 Applicatio: Clamatur hodie, Debes credere, in
pane, cum pane esse Christū. Respondeo: Pretio

G. iij.

emptus sum, non fio seruus hominum.

3. Consolatio. Quia fides non est perfecta, ideo impeditur libertas dubitationibus, sed tamē plenam libertatem expectamus: ad Roman. 8. Creaturæ expectant libertatem gloriæ filiorum Dei. Reuera peccatum in credentibus esset illusio Diaboli, si fides esset plena, firma.

2 *Ecce, ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum.*

Nihil sub cælo periculosius est, quàm remissionem peccatorum, vel partem iustitiæ alibi quærere, quàm in passione & morte Christi. Contrà nihil homines libentius faciunt. Ideo ait, Ecce ego Paulus, scilicet qui Euangelium ab ipso Christo habeo, dico vobis, simpliciter Christus nihil vobis proderit, si circumcidamini. Cur id, cùm ipse Paulus circumciderit Timotheum? Quia hi iustificationem in ea ponebant: quod Paulus non fecit. Galatæ inter Christum & circumcisionē ita partiebantur, vt dimidiā tantum partē salutis Christo adscriberēt, alteram circūcisioni. Contrà Paulus ait, aut totam salutem in Christo quærere debes, aut totam amittes.

Applicemus hæc ad vsum. Quicumque siue Iudæi siue Papistæ docent in vlla alia re partem remissionis peccatorum & vitæ æternæ quærere, quàm in passione Christi, contra eos lata est sententia: Christus iis simpliciter nihil prodest.

Obiectio. At nos vtrunque volumus habere, & remissionem peccatorum in illa cæremonia, & etiam Christum crucifixum. Sic Galatæ dicebant.

bant. Respondeo non potest fieri, vt misceantur ignis & aqua, meritum & gratia.

Fulmen contra totum Papatum, Qui in missa & cōfessionibus remissionem quærūt, Christus iis nihil prodest.

Scriptura confert fidem Christi cum fide cōiugali. Adultera non potest dicere, ero adultera & simul tua vxor. Quis autem exprimere possit, quantum sit peccatum inutilē sibi reddere Christum, vt frustra natus, frustra passus sit?

Applicemus hæc ad sacram Cœnam. Quicumque in pane quærunt remissionem peccatorum, iis inutilis est Christi natiuitas, passio, resurrectio. *vrie sie dan auch vvenig darangedenckenn,* sed contenti sunt suo idolo.

3 Testor enim rursus omni homini qui circumciditur, eum esse debitorem totius Legis seruanda.

Quia circumcisio est signū initiationis & obligationis in totam religionem Mosaicam: ergo obligat vos ad totā Legē, qui per eam iustificari vultis. Atqui Lex maledicit omnibus nō plenē eam seruantibus. Ergo vos maledictionē vestram quæritis, eique vos obstringitis dum circumcidimini.

4 Facti estis inanes Christi quicumque per Legem iustificamini, & à gratia excidistis.

Qui Christum habet, omnia habet. ad Colof. 2. quia omnes thesauri sapientiæ, iustitiæ, scientiæ in eo reconditi sunt. i. Cor. 1. Factus nobis iustitia, sapientia, sanctificatio & redemptio.

Contrà qui amittit Christum, omnia amittit. Atqui ij amittunt, qui per Sacramentum circumcisionis aut vllum opus, quantumuis sanctū iustificari volunt. Obiectio: Attamen Galatæ volebant Christum amittere? Respondeo. Verum est. Sed quia non totam remissionem peccatorum, sed partem in eo quærebant, nõ iam ipsis erat plenus & perfectus Iesus, sed tantum dimidius. Et sic eum amittebant.

A gratia excidistis. Horrendum abnegare gratiam Christi. Applica ad papatū. Corinthij volebāt simul idololatriæ seruire & Christo. vt hodie quidam Missæ idolum & Cœnam frequentare volunt. At vt hîc clamat, à gratia excidistis. qui aliter quàm fide in mortem Christi iustificari vultis. Sic I. Corinth. 10. Non potestis simul participes esse mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum.

5 Nos enim Spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus.

Spes (vt in Epistola ad Titum) pro re sperata ponitur. sic I. Pet. 1. id est, expectamus fructū, nempe salutem illius iustitiæ, quam fide habemus.

1. Paucis ostendam in hac vita nos habere imputationem iustitiæ,

2. Quomodo igitur expectemus per fidem spem iustitiæ.

De 1. In hac vita nos habere imputatam iustitiam. Ad Roman. 5. Iustificati fide, pacem habemus cum Deo. Item, Si cū inimici essemus, reconcili-

conciliati fuimus Deo per mortē Filii eius, multò magis reconciliati seruabimur per vitā eius. Ephes. 1. per quem habemus redemptionem in sanguine ipsius, remissionē in quā peccatorum.

Habemus, inquit, Apoc. 1. Qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

Et quemadmodum Deus non vult, vt tu expectes post hanc vitam, vt proximo condones: ita nec ipse vult expectare post hanc vitam, sed in hac vita tibi condonat. Et tuam cōdonationem vult tibi esse testimonium conscientiae de sua cōdonatione per Christum in hac vita. Et in tota hac Epistola hoc ostendit. Sicut Abraham fide iustificatus est in hac vita. nam in futura cessat fides: ita & nos. Ad Heb. 10. Vbi peccatorū est remissio, ita vt Deus nolit eorū recordari amplius, ibi nullum restat sacrificium pro peccato.

Item Psal. 103. Quàm longè distat Oriens ab Occidente, tam procul remouit peccata nostra à conspectu suo.

De 2 Quomodo igitur ait, nos in Spiritu per fidem expectare spem iustitiae.

Dicam, Sumus iusti fide, & tamen iustitia nostra nondum reuelata est, nec plenam pacem cōscientiae sentimus: ideòque plenam fruitionem eius iustitiae, quam fide possidemus, in spe expectamus, quia tentationibus & lucta turbatur pax cōscientiae. Sic 1. Ioan. 3. Nunc sumus filii Dei, sed nondum apparuit, quod erimus. Scimus autem cū apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est Roman. 8. Spe seruati sumus, &c. Donec viuimus manet peccatum in carne,

& manet Lex in membris nostris repugnans legi mentis nostræ.

Qualis autem est illa spes? Respondeo: Quæ non confundit, ad Rom. 5. Quia est fundata in Dei promissione, & verbo est contenta.

Discrimē inter fidem, & spem. Fides promissionis verbum amplectitur, & spes boni promissi fruitionem fortiter expectat & desiderat. Ideo ad Hebr. 11. pro eodem accipit & ad Roman. 4.

Cōsolatio. In tentationibus sæpe non sentitur iustitia, pax, sed terrores. Respondeo. Sic te consolare. Tu cupis sentire iustitiam, sicut peccatum sentis. Hoc non fiet. Sed tua fides debet superare sensum peccati, & statuere, te coram Deo iustum esse, atque sperare te iustitiæ illius sensum fruitionemque plenam tandem consecuturum. Ideo non secundum sensum peccati, sed secundum verbum promissionis iudicare debes.

Roman. 10. Ne dicas quis ascendet in cœlum? hoc est Christū è cœlis deducere. Propè est verbum in ore tuo, & hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Rom. 4. Abraham cōtra spem speravit. contraria in se sentiebat se ferè centenarium & Saram sterilem esse, & tamen tot nationes à se ortum & originem habituras, adeoque benedicendas esse.

6 Nam in Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque preputium, sed fides per charitatem agens.

Ratio est pertinens ad superiorem sētentiam: Nos per fidem spem iustitiæ expectare. Nam in regno.

regno Christi neque circūcisio neque præputiū
valent ad iustificandum,

Applicemus ad vsum: Si Baptismus iustifica-
ret, dixisset, Circuncisio non valet, sed Baptis-
mus. Non est causa iustificationis Baptismus,
sed signum sacrum eius iustificationis, quam per
fidem in sanguinē Christi habet Ecclesia & sin-
gula eius membra.

Sed fides per dilectionem agens) Poterant dice-
re: Si circuncisionem & similes cæremonias no-
bis tollis, qua igitur re exercebimus fidem no-
stram? Respondet per dilectionem. Nā qui pro-
ximum diligit, certum signum edit se Deū quo-
que diligere. Et quoties vides proximum tuum
egētem, cogita, Deus me vocat, vt dilectionem,
quam erga se habeo, in iuuando proximo decla-
rem. 1. Ioan 4. Si enim proximum quē videmus
non diligimus, quomodo Deum quem non vi-
demus poterimus diligere?

Ergo causa cur hīc dilectionis meminerit, est
vt doceat non defutura Christianis exercitia fi-
dei etsi à cæremoniis Legis abstineant.

Obiectio Papistarum. Paulus ait: Fides ope-
rans per dilectionem. Ergo partim fides remis-
sionem peccatorum accipit, partim meretur re-
missionem dilectio, siue opera. Respondeo: Fi-
des vera duplex beneficium accipit à Christo.
Primò, remissionem peccatorum siue iustifica-
tionem gratuitam: deinde Spiritum sanctum,
quo innouātur corda ad sinceram dilectionem,
quam requirit Paulus. Ergo prius remissionem
peccatorum habemus quā possimus bona ope-

ra proferre.

Cauendum igitur ne inuoluantur conscientia, vt distinguantur duo illa beneficia gratis donata, ab operibus bonis quæ Papistæ fingunt proficisci ex nostris viribus, quæ nullæ sunt. Quæ cū nil sint quàm peccata, bona dici nequeunt, nedū iustitia aut pars iustitiæ. Deinde inter geminum illud beneficium à Christo gratis per fidem acceptum distinguendum quoque est, ita vt fides, quatenus remissionem peccatorum in imputata Christi obedientia amplectitur ab inobedientia credentem iustificet. Quatenus verò dilectionis donum à Spiritu sancto consequitur, non iustificet, sed in iustificato fructus gratitudinis proferat. 3. Obserua. Falsò illos iactare fidem, in quibus vitæ nulla fit immutatio Ad Titum. 2. Vt purificaret sibi populū zelotem bonorū operū.

7 *Currebatis pulchrè, quis vos interpellauit vt non obsequeremini veritati?*

8 *Hæc persuasio nō est ex eo qui vocat vos.*

9 *Paulum fermenti totam massam fermentat.*

Christus mandauit Matt. 16. Videte & caute vobis à fermento Phariseorum & Saduceorū. Regula, quomodo nobis cauere possimus, sunt Articuli fidei, si quæstio sit de fide & de iustitia corā Deo. Decalogus verò si quæstio sit de vita instituenda secundum Dei volūtatē. Cū iustitia quæ coram Deo consistit operibus Legis ascribitur: quæ propriè est fidei in Christum, tū doctrina corrumpitur, & in fermentum cōuertitur

titur. Sic cū operi operato Sacramenti iustitia adscribitur, fermentum est. pugnat enim cū sincera doctrina articulorum fidei, De incarnatione Filij Dei, morte, ascensione in celum. Reliqui etiam articuli hoc admixto fermento consistere nequeunt. Fermentum interdum de vita corrupta intelligitur, vt I. Cor. Expurgate vetus fermentū, vt sitis noua conspersio, sicut estis infermentati. At hīc non de vita sed de doctrina corrupta loquitur: imprimis ipsius Euangelii.

10 Ego confido de vobis in Domino, vos nihil aliud esse sensuros. sed qui turbat vos, auferet condemnationem, quisquis fuerit.

11 Ego autem: fratres, si Circumcisionem etiam prædico, quid adhuc persecutionē patior? nempe abolitum est offendiculum crucis.

12 Vtinam etiam abscindatur, qui vos inquietant.

1. Primò ait se sperare Galatas constantes fore in pura doctrina, quod per nullum opus, nec per opus Sacramentorum remissionem peccatorum accipiant, sed per solam fidem in mortem Christi. Opposita enim doctrina fermentum est pugnans cum articulis fidei.

2. Deinde minatur certum Dei iudiciū iis qui turbabant Ecclesiam Galatarum. Nam si is qui vnum ex pusillis scandalizauerit tam horrendū expectare debet iudicium, vt præstet molam asinariam de collo eius suspensam esse & eū in profundum maris præcipitari: multò magis ij hor-

rendum & certum iudicium expectet qui totas Ecclesias concutiunt & turbant.

Videamus igitur, qui sint turbatores Ecclesie Dei. i. qui ij sint, probandum est ex verbo Dei. Nam si accusare sufficeret, nemo reperiretur innocens: Contra si negare, nemo reperiretur nocens.

Respondebo. Primum ex ipso Paulo. 2. ex libris Regum. 3. ex Ieremia.

1. Quia Paulo apud Galatas dicebantur turbatores Ecclesie qui abducebant homines a sola passione Christi, & docebant iustificari homines per Sacramentum Circumcisionis & alia opera quantumvis sancta.

2. Sic 1. Regum 18. Achab ad Eliam: Nonne tu es ille qui conturbas Israel? Qui respondit, Non turbavi Israel, sed tu & domus patris tui, qui recessistis a mandato Dei, & ambulastis post Balaim. Postea ad populum ait Elias. Quandiu claudicabitis in utrumque latus. Si Baal est deus, hunc colite, Si Deus Israel est Deus, huic adherete. Exponit etiam textus, quomodo ad suum idolum clamarent. Clamate, ait Elias, nam dormit, &c. Aliud exemplum, in quo perspicitur idololatriam esse causam turbarum, non veram doctrinam. 2. Chronic. 18. Micheas non vaticinatur mihi bonum, sed omnibus diebus malum. Item, Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Orandus est Deus cum iam de concordia in religione agatur apud Principes, ne sit spiritus mendax in ore prophetarum ad decipiendum Reges & principes. Item Ierem. 8. Prophetæ docent idololatriam, & dicunt, Pax, pax, cum tamen
non

non sit pax. Quibus docemur, Qui maximè pacē & concordiam clamant, interim verò idololatriam fouent, hi maximè turbatores sunt Ecclesiæ: nam illa pax non est secundū Deum. Et certè Galatæ ita fascinati erant, vt pacem colerent cum pseudoapostolis, tamen Paulus turbatores eos vocat. Quid adhuc persecutionem patior? quasi dicat, Non sum adeò captus mente, vt non malim calumniis carere & persecutione, si per veritatem liceret. Cessat scandalum crucis. Si Circumcisionem doceret, cessaret iam scandalū illud crucis, nempe ipsa persecutionis causa. Nā hoc & Gentes & Iudæos ad persecutionem inflammabat, quod audirent morti crucis, adeo ignominiosæ adscribi æternam iustitiam & satisfactionem pro peccatis: detrahi verò hāc laudem omnibus rebus aliis, quæ maximè ipsis placebant.

Observatio. Sēper homines aliquid aliud habere volunt quod ipsorum sit iustitia, quā mors crucis Christi. Videtur superbæ hominum naturæ ea res nimis abiecta & infirma. Quærunt igitur aliquid, quod cum ipsorum iudicio magis cōgruat, vt opera Legis, opera Sacramentorū, corporalis præsentia, in quibus si collocetur iustitia cessat scādalum crucis Christi. Si philosophis dixisset Paulus, hominem missum à Deo, qui totā Ethicam siue omnes virtutes vita sua expressisset (nulla facta mentione mortis Christi) eaque ratione humanum genus à virtute alienum iustificasse & seruasse, minus fuissent offensi. At in sola mortis tam ignominiosæ obedientia iustitiam

H. j.

ponere, item in morte, liberationem à morte, id verò Græcis sapientissimis stultitia erat, Iudæis offendiculum. Sed vult Deus iustitiam illâ mortis Christi crucifixi conspici, sicut Moses serpentem æneum exaltauit: vtcunque sapientes intelligendo faciant, vt nihil intelligant, & Iudæi crucis iustitia offensi ad petram scandali collidantur. Electis enim hæc obedientia mortis Christi & Dei sapientia & potentia est. Vide 1. Corin. I. ver. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

13 *Vos enim ad libertatem vocati estis fratres: tantùm ne libertatem accipite vt datam carni occasionem, sed ex charitate seruite alijs alijs.*

14 *Nam tota Lex vno verbo completur, isto videlicet, Diliges proximum tuum vt te ipsum.*

Cùm audiunt homines nos per fidem in Christum habere omnium peccatorum remissionem in æternum gratis per Christum, cogitant, ergo peccemus, nihil boni faciamus. Respondet Paulus, Cauete ne abutamini libertate in licentiam carnis, sed gratos vos Christo exhibete diligendo vos mutuò. Rom. 6. ver. 1.

Simile. Si dominus infantem pauperem adoptet, an ideo habet libertatem peccandi? Si quis à Turca redemptus sit, non contemnere debet eum, qui redemit, sed gratum se exhibere. Diximus non abutendum esse libertate. Summa. Nō est homo liberior sub cælo, Christiano. Nec etiã maior

maior seruus sub cælo quàm Christianus : *doch
mir vnderſcheyt.*

Primò. Non est maior libertas sub cælo. Quia tam magna est, quàm ipsa Christi passio & potētissima resurrectio, qua in libertatem vindicati sumus. Maior est libertas cælo & terra, quia sacrificium Filii superat cælum & terram & æterna etiam manet libertas, ita vt diabolus in æternum nullum crimen nobis intentare possit. ad Rom. 8.

2. Et seruitus Christiani maior est, quàm vlla seruitus, scilicet seruitus non ad malum, sed ad bonum, idque ex cōscientia libera. Nam quemadmodū non fuit maior seruus, quàm ipse Christus, qui factus est seruus inimicorum suorum, lauit pedes Iudæ: ita & Christianus inimicis & hostibus ad bonū inservire debet. Christus ait, vos quoq; alter alteri pedes lauare debetis. Si Christus vilissima quæque pro te subiit & turpitudinem tuam in se recepit: recepit enim in se peccata tua & scelera, ac si ipse ea perpetrasset, & maledictionem æternam pro te subiit ac sensit. Vt dicitur, Mortem gustavit pro omnibus: & Christus iam substituit fratres proximos in suū locum: quæso quid tam fordidum est, in quo nō Christo & fratribus, ipso iubente, inservias? Ad Philip. 2. exemplo Christi ad seruiendum proximis nos adhortatur. In summa non sumus tātūm serui: sed sumus ipsa peripsamata & excrementa mundi: sicut Christus nostri causa velut excrementum mundi reiectus fuit.

H. ij.

15 *Quod si alij alios mordetis & deuoratis, videte ne inuicem alij ab alijs consumamini.*

Contentiones erant in Ecclesia Galatarum. Reprehendit à finali interitu. Etenim natura omnes cupiunt seipfos conseruare: at dissensionibus destruitur Ecclesia. Ergo cōtra naturam est ita odiis dissidere.

Obiectio: Defendenda veritas. Respondeo. Verum est: interim ab odiis abstinendum & à conuitiis: vt alibi ait: *So iemandts lust hat zu zanken, der vvisse, das mir den brauch nicht haben, noch die kirche Christi.*

Item ad Titum. Hæreticum hominem post vnam aut alteram admonitionem euita. Metuendum ne dū Germani de idolo Missę dissentiunt, tandem Turca eos absumat. Sicut factum est in Oriente. Nam dissidētibus Ecclesiis, Mahomet exortus est, virus suum sparsit, & scripta Prophetica & Apostolica sustulit. Erat odium implacabile in Episcopis Arrianis contra orthodoxos, adeò vt Imperator libellos supplices combureret, priusquàm Synodus inchoaretur. Tales sunt hodie pedes statuæ Danielis. *Diss vvirt der vvelt den letzten stoss geben*, ait Philippus, quòd Germani seipfos mordebunt ob Deum panaceum, postea irruet Turca. Nihil itaque consultius quàm simpliciter confessa semel atque iterum veritate à cōtentionibus abstinere, & scholam atque Ecclesiam ædificare. Diabolus hoc artificium habet, vt tempus suffuretur, ne impendatur

datur in res meliores.

16 *Hoc autem dico, Spiritu incedite: & quod concupiscit caro, ne perficite.*

17 *Nam caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem: hæc autem inter se opposita sunt, ut non quaecunque uolueritis, eadem faciatis.*

Primò caro significat totam naturam, ut Ioã. 3. Quicquid ex carne natum est, caro est. Secundo, spiritus significat partem hominis gratia Spiritus renouatam ad imaginem Dei. Summa est: Totam vitam hominis Christiani pugnam esse aduersus peccatum. Ad Rom. 7. Inuenio aliã Legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ. Pugna hæc non contristari, sed consolari nos debet, quia signum est, nos habere Spiritum sanctum. Sed illa pugna nõ est iustitia coram Deo, alioqui iustitia esset imperfecta, sed signum Spiritus fidei, per quam imputatur nobis iustitia Christi.

18 *Quòd si Spiritu ducimini, non estis sub Lege.*

Id est, sub condensatione siue maledictione, sed sub gratia.

19 *Porrò manifesta sunt opera carnis: quæ sunt adulterium, scortatio, impuritas, proteruitia.*

Matth. 7. Ex fructibus cognoscitur arbor, testimonium certum sunt fructus. Ita etiã ex tuis fructibus iudicaberis, nõ verè Christianus fue-

H. iij.

ris. Nos volumus nos excusare, tergiuerfari. At manifesti sunt fructus quibus conuincamur. Verum Dominus dicit, Populum cupere Prophetas qui puluillos consuunt.

1. Causa autem cur tales hæreditate regnum Dei non sint accepturi, est, quia carent Spiritu Christi. ad Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Item qui Spiritum Christi non habet, non est eius: ad Ephes. 4. Vos non ita didicistis Christum. Luc. 13.

2. Sciamus Deum immutabilem. Ego Deus & non mutor. Ergo impœnitentes non recipiet in suum regnum. Durum incidere in manus Dei uiētis. Ad Hebr. 4. Dum hodie est, ne obduretis corda uestra. Quomodo vitam relinquemus propter Christum, si poculum vini propter eum non possumus relinquere? At Dominus ait, Qui non odit animam suam, non est me dignus.

3. Redeāt qui peccarunt cum prodigo filio. Et Matth. 18. vers. 11.

Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio.) Videamus quoniam illi sint. Respondeo: Nominine Christiani Galatæ erant Ecclesia, in qua multa zizania. Matth. 13. Quoniam tam grauem pœnam iis denuntiat, nimirum non fore hæredes regni, ideo de his vitiiis aliquid dicemus. Manifesta sunt, ait, Quia clara testimonia sunt iustæ damnationis quæ excusari non poterunt. Applicemus hæc ad usum: in Psal. *Ich vwill dir deine funde vor die augen stellen.* Omnia illa flagitia ponentur tibi ob oculos in Dei iudicio, nisi cōuertaris, quæ negare non poteris. Sapientia. 5.

Opera

Opera carnis.) Scilicet, quatenus corrupta est peccato & aduersatur Dei Legi. Quod obseruandum est contra Syritium Papam, qui matrimonium recensebat inter opera carnis, quod manifestè falsum est, Ergo opera carnis intelligit non ordinationem Dei, vt est matrimonium, sed peccata proficiscentia à nostra natura corrupta cōtra ordinationem Dei, sicut ait, adulterium, scortatio, &c.

Adulterium.) Deus sapiens est, & castus matrimonii author est, ergo adulterium Dei ordinationē violat, etiam qui ducit eam quæ absque iusta causa, scilicet scortationis, separata est, adulterium cōmittit, Matth. 119. Ergo videant qui separant coniuges.

Scortatio.) Ad Heb. 13. Scortatores & aduteros iudicabit Deus. Ducenda est vxor. Deus timentibus ipsum & laborantibus dabit victum. 1. Cor. 6. Si quis templum Domini violat, hunc destruet Deus.

Immundities.) *allerley schandbarkeit* & peccata contra naturam, *geylheyt*, sic verti debet. 1. Corinth. 10. Sedit populus edere & bibere & surrexerunt ludere.

20 *Idololatria, veneficium, inimicitia, lis, emulationes, ira, cōtentiones, dissidia, hareses.*

Idololatria, est præter solum & verum Deum aliquid habere in quo fiduciam colloces. Quantum periculum? Non hæredes esse regni cælorū.

21 *Inuidia, cades, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædi-*

H. iiii.

xi, eos videlicet qui talia agunt, regni Dei non fore hæredes.

Hæredes non erunt. Reliqua sunt veneficia, odia, ira, contentiones, sectæ, ebrietas &c. De his diximus in hac epistola sæpe, qui his vitiis non resistunt, nec conuertuntur, regni Dei hæredes non erunt.

De ebrietate Isa. 5. Væ qui surgitis ad bibédū: & non obseruatis opus Domini, scilicet salutis, quam in verbo offert. Et Amos 6. Christus Luc. 21, Cauete vobis ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate, &c. Matth. 16. ait. propriam vitam abnegandam ei qui ipsum velit sequi. At quomodo vitam abnegabit, qui in Christi gratiam ebrietatem abnegare nõ dignatur?

2. Videamus regnum Dei hæreditate possidere quid sit. Non solùm priuatio est, sed pœnæ in igne æterno. Sed quis credit auditui nostro? Isa. 53. Certum est ebriosum hoc non credere, alioqui desisteret. Psal. 90. Quis credit Domine te a deò irasci peccatis, doce nos Domine quàm breuis sit numerus dierum vitæ nostræ, vt prudentes fiamus.

3. Sciamus multitudinẽ horũ hominũ non impedituram vlttricem Dei manum. Argumento à diluuiio. Multitudo vxorum, maritorum, filiorũ, non impediuit Deũ: ita nec diluuium ignis impedit. Quia Matth. 24. prædixit Christus similia fore peccata, & inauditas quoque pœnas.

Adhortatio ad magistratum. Væ qui vnũ scãdalizauerit. Ergo multò magis vbi ciuitates & regione

regiones infectæ sunt talibus vitiis. Cogitemus nos non hominibus, sed Deo rationem reddituros.

22 *At fructus spiritus, est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia.*

Prinò. Quicquid boni, vel minima etiam gutta, in nobis est, à Spiritu sancto est. Et hæc bona opera sunt conformitas inter Deum & nos, vt Christus ait: Estote sicut Pater vester cælestis, qui solè suum oriri facit super bonos & malos, iustos & iniustos. Quid autem magis, optandum quàm nos maximè conformes & coniunctos esse Patri nostro cælesti?

(Charitas.) Seruite alius alii inuicem. Membra corporis alia aliis seruiunt & vicissim iis inseruiunt: ita & in Christiana dilectione fit, idque nullo præmii respectu. 1. Cor. 12. Iohan. 13. Christus ait: In hoc notum fiet vos esse meos discipulos, quod dilectionem inter vos habetis mutuam.

Duo tristissima prædixit ante iudicium. 1. Quia præualuit iniquitas, refrigescet charitas multorum. 2. An putas filium hominis fidem reperturum in terra? 1. Ioan. 3. Qui habet substantiam huius mundi, & viderit fratrem egere, & clausit viscera sua, quomodo dilectio Dei manet in illo?

Gaudium.) Philip. 4. Gaudete in domino semper. Zachar. 9. Lætare filia Sion, iubilare filia Ierusalem, ecce Rex tuus venit. Item Paulus. Semper gaudete. 1. Thess. 5. sine intermissione est gaudium spiritus, cum cor statuit Christum esse Sal-

uatores, Pōtificem. Act. 2. capiebant cibū cum exultatione, &c.

Pax.) Cum Deo, scilicet eterna. Isa. 54. & cum hominibus, dum pacificè quantum in nobis est, cum iis viuimus.

Patientia.) Diabolus & mundus multa obiciunt, vt temporis diuturnitate nos vincant, hīc opus nobis est lōganimitate siue patientia. Pulcherrima virtus subiiciens se diuinæ voluntati. Tria considera, vt ad patientiam instruas animū, 1. promissiones intueri de prouidentia, quibus se tibi obligauit licet indigno. Psalm. 90. Esa. 49. Zachar. 2. Hebr. 10. Psal. 27. 40. 50. 42. 55. 1. Petr. 5. Rom. 8.

Secundò, intueri Filium Dei pignus omnium promissionum. Rom. 8. Quid dicemus ad hęc, Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Tertiò, vltimum vale intueri. Matth. 28. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cōsummationem seculi. Item, Ego tecum ero in tribulatione.

Benignitas, bonitas.) Cœpimus dicere de fructibus spiritus. Hæ virtutes sunt veluti vinculum charitatis: sine his charitas diu consistere nō potest. benignitate verò & comitate fouetur charitas. Ergo quibuscum Deus nos coniunxit, ostendamus nos habere desiderium cum eis communicandi.

Applicatio, Si quis tua opera aut consilio indiget, benignè & alacri animo ei communices. Simile. Sumus in hoc mundo tanquam in Nofo-
dochio magno, sanemus, nō laceremus vulnera.

2. Ob-

Secundò Obserua. Paulum non intelligere de eiusmodi benignitate, & comitate qua hodie plenus est mundus. Hic non esset fructus Spiritus sancti, sed spiritus mendacii. Nam quod mentiri est verbo, hoc simulare amicitiam, est factò. Ideo Solomon ait 27. cap. præstare vulnera ab amico quàm osculum ab inimico accipere.

Mansuetudo.) His coniuncta virtus est, quæ non sinit hominem facilè commoueri ad iram. Moses testimonium habet, quòd mäsuetissimus fuerit. Quot passus est incommoda in regendo populo Israel: & tamen populum nõ abiicit, sed mauult deleri è libro vitæ, quàm vt Dominus populum ipsi commissum abiiciat.

Interdù quidè ob Dei honorem cõmouetur. vt cùm tabulas fœderis in terrã abiectas, frãgit, *da sie die abgotterey vndt fassnachts unsinniges vve sen mit dem kalb anrichteten.* Interim tamen non desinit pro iis orare. Adhæc Christus superauit omnes mansuetudine. Is etsi vendentes & ementes eiecerit è templo, tamen non desinit habere cor verè mansuetum. Matt. II. Suscipite iugum meum & discite à me, ait, quoniam mitis sum & humilis corde, & requiem inuenietis animabus vestris. Nam iugum meũ facile est, & onus meũ leue est. Et vt Ioannes ait, præcepta Dei difficilia non sunt. Qui semel se tradidit Christo & vitam Christianã viuit, ei suaue est bona conscientia secundum præcepta Dei viuere. Et contrã. summa ei crux esset si in ebrietate aliisque sceleribus ei viuendum esset, vti antea vixerat,

Fides.) Accipitur à Paulò primũ pro fiducia

in gratuitam promissionem Dei, quòd scilicet et si nil in nobis boni sit, nisi ex ipsius gratia, tamen confidimus eum nobis esse propitium, remittere peccata propter Filium & daturum vitam æternam.

2. Pro constantia dictorum & factorum, *das man einander glauben helt.* Hoc loco ita accipitur, quia de fructibus fidei iustificantis agit. Sic de Charitate 1. Cor. 13. *die liebe glaubet alles, oder verrauvet alles.*

Temperantia.) Est moderatio in tota vita, *es begreift ein zuchtiges ehrbars leben.*

Hæc omnia procedunt ex Spiritu sancto, ita tamen, vt fons ipse sit in Christo: ex cuius plenitudine haurimus omnes.

23 *Aduersus eos qui sunt eiusmodi, non est Lex.*

Consolandi erant pii, quia enim in omnibus insunt reliquiæ peccati, quibus tamen resistunt, metuere potuissent maledictionem Legis. Respondet: contra tales non est lex.

Dupliciter contra eos nō est Lex. primò, quia liberi sunt à maledictione Legis, et si imperfecta sint ipsorum opera. Secundò, liberi à coactione, quòd non coacti, sed vltro Spiritu sancto eos mouente, obediāt Legi. Spiritu, inquam, filiorum Dei libero non seruili, neque coacto vllò metu. Adeo vt si Christus nunquam vellet eis dare vitam æternam, tamen eum diligerent ipsiusque regnum propagatum cuperent.

Contra etiam si nulli essent inferi nec punire vellet

vellet, & damnare morte æterna ebrietatem, adulterium, blasphemias, tamen Christianus abstineret à talibus, quia scit ea Christo displicere, & iã alio spiritu regitur, cuius ingenio & naturæ ista repugnant. Sic intelligendum quod ad Roman. 6. dicitur: Peccatum vobis non dominabitur, quia non estis sub Lege, sed sub gratia.

Non esse sub Lege, est non habere Legē pro domino, qui nos cogat, & nisi fecerimus maledicat, sed habere gratiam Christi in nobis regnantem, quæ & certos nos reddat nos liberos esse à maledictione, & vim suppeditet resistendi peccato, & non coactè sed sponte faciēdi officium. Sic intelligendum I. Tim. I. iusto non est Lex posita, scilicet quæ cogat & maledicat, sed iniustis. Doctrina alioqui manet, Psal. 119.

24 *Qui enim sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.*

Tria inveniuntur in Scriptura crucifixionis genera, quibus caro eorum, qui Christi sunt, crucifigitur. Primum ac principale factum est in ipso Christo, cùm pro peccato, quod in carne nostra dominabatur, cruci est affixus.

Quemadmodum enim commortui sumus cū eo & ad vitam excitati, ita & cum eo crucifixi. 2. Cor. 5. Si vnus pro omnibus mortuus, ergo omnes sunt mortui. Sed de hac crucifixione non intelligit Apostolus, quia nō de iustificatione, sed noua vita loquitur.

Secundum crucifixionis genus Sacramentale est, vt qui baptizantur in baptismo cum Christo

crucifigunt carnem suam: quemadmodum & cū Christo moriuntur, sepeliuntur & resurgūt. Ad Roman. 6. An ignoratis, fratres, quòd quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortē eius baptizati sumus? Et paulò post. Hoc sciētes quòd vetus noster homo cum eo crucifixus est. Quid est baptizari in mortem? Est in communionem mortis Christi, ipsius virtutis & efficaciam hoc visibili signo incorporari & obsignari. Duplex autem cōmunio. Vna, quòd ex morte Christi remissionem peccatorum habemus. Act 22. Surge & ablue peccata tua.

Altera est conformitas cum imagine Christi mortui & excitati ad quam reformandi sumus. idque non ex nostris sed Spiritus Christi viribus. Ex ista imagine, vt altera Baptismatis significatione argumentatur Apostolus, non pergendum in peccatis vt gratia abundet. Ex fine etiam gratiam argumentatur.

Tertium crucifixionis genus est spirituale, scilicet, cū virtute Spiritus membra nostra crucifigimus. Nam secundum crucifixionis genus semel geritur Symbolicòs in Sacramento, quod deinde virtute Spiritus Christi tota vita in nobis geri debet. Ideo qui baptizati sunt, abnegarunt in Sacramento semetipsos suasque concupiscentias, & absque mora nouitati vitæ studēt. Ideo ait crucifixerunt carnem cum affectibus & concupiscentiis.

Ipsa ratio & sapientia crucifigēda, & cor ipsū ad Rom. 8. τὸ φρόνημα carnis inimicitia est aduersus Deum.

25 *Si uiuimus Spiritu, Spiritu etiam incedamus.*

Hæc pertinent ad confirmationem superioris proximæ sententiæ, scilicet, eos demum esse Christi & liberos à maledictione & coactione Legis, qui virtute Spiritus (à quo mors Christi in ipsis redditur efficax) veterem hominem crucifixerunt, & adhuc crucifigere pergunt cū suis concupiscentiis. Iam quoniam homines varia habent subterfugia, & dicunt se etiam Christianos esse, & habere Spiritum sanctum, quāuis ipsa vita eos mendacii conuincat: ideo addit Paulus, Si uiuimus spiritu, spiritu etiam incedamus: quasi dicat, Non est satis quemlibet protestari se habere Spiritum sanctum in corde suo habitantē. Nam non est otiosus. Si in corde est, necesse est erumpat in actionem aliquam. Itaque ad vitam nostram veniendū est, & ex actionibus vitæ nostræ facilè erit iudicare, quis spiritus non regat. Quemadmodū si quis mihi persuadere velit, statutam viuere, quæ tamen neque ambulare, neque quicquam mouere possit. Aut, quemadmodum si ebrius, qui ab vno pariete cadat in alterum, mihi persuadere velit, se esse sobrium. In summa ex actionibus colligitur quid sit in homine. Vt si blasphemus mihi persuadere velit, se intus in corde orare, non credam, aut se in corde nullam blasphemiam habere, nō credam, quia Christus ait, Ex abundantia cordis os loquitur. Item, ex verbis tuis iudicaberis.

Primò itaque obseruandum, ne nos decipia-

mus, vitam nostram coram Dei iudicio, coram Angelis & hominibus testem fore an acceperimus gratiam Spiritus sancti, an verò eam reiecerimus, & passi simus immūdum spiritum diabolum nos regere. An Spiritui sancto nos exhibuerimus in templa in quæ effunderet consolationem, remissionem peccatorum, pacem, lætitiā & lucem suam: an verò diabolo præbuerimus & corda & corpora in stabula in quæ suas sordes effunderet. Et an ora nostra præbuerimus instrumenta ad blasphemandum, & denuò crucifigendum Iesum Christum. Denique an mācipia fuerimus Satanæ per quorum ora ipse Satan euomuerit blasphemias suas & alia scelera aduersus Deum, vt in Germania & hīc fit impunè. 2. Tim. 2. Discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Iesu, *ohn eyniges vvider sprechen*. Paulus hīc dicit. Si viuimus spiritu, spiritu etiā incedamus.

Quæro, estne possibile, Spiritum sanctum regere illam linguā, que per vulnera & passionem Christi alicui maledicit? Et per eam passionem per quam acquisitus est nobis Spiritus sanctus, & per quam nobis benedicit, an Spiritus sanctus per eā sanctam passionem cuiquam maledicat?

Contrà verò, annon necesse est impurum spiritum regere & cor & linguam illam blasphemam?

Argumento I Cor. 12. Quemadmodum enim nemo potest dicere Iesum Christū Dominū, nisi per Spiritum sanctū, ita nemo potest cōtumelia afficere ipsius nomen & passionem, qua nos redemit, factusque est noster Dominus, qui an-

tea

tea sub dominio Satanæ eramus, nisi impellente eum spiritu impuro & blasphemio, qui Spiritui sancto sit contrarius. Necessè est ibi esse Satanæ præsentem operationem, qui per impurum illud os venenum suum expuit contra Filium Dei & ipsius sacratissimam passionem. Si dicant, est consuetudo mea. Quæro: Est ne consuetudo Spiritus sancti blasphemare per passionem Christi, an verò consuetudo diaboli? Ergo non semel tantum præbes linguam tuam in instrumentum diabolo: sed est consuetus tuus hospes, qui & cor accendit & linguam mouet. Ito ad iudicem cum aliquid es furatus & excusato te hoc pacto: Domine iudex, ita fert mea consuetudo, vt furer. Respondabit iudex, & mea consuetudo fert, atque officii mei ratio, vt fures suspendam. Sed quæ fit vt fures suspendantur, non autem multò magis blasphemis nisi quia pecunia nostra nobis charior est quàm Dei gloria?

2. Obseruandum, Quid sit spiritu viuere & quàm nobis sit necessarius Spiritus factus. Quid spiritu viuere? idem est quod Christianum esse, vinctum gratia Spiritus sancti. In nobis nil aliud est natura, quàm mors æterna. Viuificat autem nos Dei Filius voce Euangelii & virtute spiritus, vt Christus ait apud Ioannem: Veniet hora & iam venit, vt mortui audiant vocem Filii hominis, & qui audierint, viuant. Nota. iam venit hora, ait. Item Ioan. 6. Spiritus est qui viuificat. Quàm autem sit necessarius Spiritus sanctus inde collige: Quòd quilibet aut regitur Spiritu Christi, aut spiritu huius mundi. Si spiritu huius

I. j.

mundi, est adhuc in morte æterna, vt ad Ephes. 2. Cùm essetis mortui in delictis & peccatis: in quibus olim versati estis, secundum vitam seculi huius, &c.

S. Spiritum Christi habes, habes vnctionē vitæ æternæ, initium vitæ. ideo Christus vult nos orare, vt Pater det nobis Spiritum sanctum. Pater dabit Spiritum sanctum petētibus. Et Apost. ad Roman. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini, si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Item 1. Corinth. 9. In seruitutem redigo meū ipsius corpus, ne cū aliis prædicauero, ipse reprobus inueniar.

26 *Ne simus inanis gloriae cupidi, alij alios prouocantes, alij aliis inuidentes.*

Causa contentionū & infinitorum malorum ambitio. Huic malo eo validiūs resistendum est, quò tenaciūs hæret. Satan ita afflauit hoc malū, vt difficulter euelli queat, Eritis sicut Dii. Depri- mere debes cōsilia & cogitationes tuas quoties diabolus te vult extollere. Ideo enim nos extollit, vt nos præcipitet, quemadmodum totum genus humanum præcipitauit. At Deus depri- mit nos, vt extollat. Sicut Petrus ait, Humiliami- ni sub potenti manu Dei vt vos extollat tempo- re suo. Ioan. 5. Quomodo potestis vos credere, quum gloriam alii ab aliis accipiatis, & gloriam, quæ à solo Deo est, nō quærat? Ioan. 12. Dilexe- rūt gloriam hominum magis quàm gloriā Dei. Item: Amē dico vobis, habent mercedem suam. Grauis vox Christi: Quam erit durum superbo audire

aud ire illā vocē in extremo iudicio: *Gebe hin, du hast deinen lohn schon hinweg*. Ergo nulla merces tibi superest, quā cum diabolis. Quisque igitur se probet vt 2. Cor. I. Hæc est gloria nostra testimonium bonæ cōscientiæ. Itaque magno bono nostro fit, dum conuitiis proscinduntur veritatis doctores, vt humiliemur. Laudari esset periculofissimum.

CAP. VI.

I Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales instauratione huiusmodi hominē cum Spiritu mansuetudinis: considerans temetipsum, ne & tu tenteris.

Duo sunt peccantium genera. 1. Quidam ex infirmitate peccant, qui tamen zelum habent. 2. alii ex malitia & cum scandalo publico.

1. De iis qui ex infirmitate peccant. Quomodo eis sit medendū, docet in verbo *καταρτίς* & v. metaphora seu similitudo inest à membro luxato quod in integrum restituitur.

Mandatum Christi est, ne negligamus salutē fratrum. Matt h. 18. Dum vult instaurari admonitionibus, non vult vt eis adulemur vel conuiueamus. Inhumanum esset videre iacentem in platea & non porrigere manum.

2 *Alij aliorum onera portate: & ita complete Legem Christi.*

3 *Nam si quis sibi videtur aliquid, quū nihil sit, hunc suus ipsius animus fallit.*

4 *Opus autē suum probet vnusquisque*

I. ij.

& tunc in semetipso gloriatiōnem habebit & non in alio.

5 Nam unusquisque suum onus portabit.

Hic sit ordo reprehendendi. primò vt ubique vitium est, ibi condemnemus, non in hoc homine damnemus, in alio approbemus. secundò vt admonituri expendamus nos ipsos & quàm facilè Sathã nos possit decipere. Etsi enim gratiæ Dei fidendum, tamen non in hunc finem nobis promittitur Dei gratia vt negligentes simus, sed vt ea freti aduersus hostem excubemus.

2. Pars. De iis peccatoribus, qui non præoccupantur aliqua offensa, sed ex malitia & contemptu peccant. Cum iis agendum asperius & verbis & pœnis. Quoties Dominus dixit: Tolle malum è medio Israel. Item, Ne vos terra euomat, sicut gentes quas expuli ante vos. Exemplum Eli peccantis nimia remissione. 1. Sam. 2. 3. & 4. 1. Tim. 5. Vitia hæc vitanda. 1. Ne magis misericordes esse velimus quàm Deus. Nam si vel radiũ ipsius misericordiæ infinitæ habemus, multum est: & tamen punit scelera

2. Ne gaudeamus cū teguntur scelera. Morbus in cutē repellitur: sed inquirendũ & iustitia administranda. Iob 29. Inquirebã quod nesciebam.

3. Ne inquiras ô Magistratus per eos qui iisdem vitiis sunt obnoxii. Consilium Ietro à Spiritu sancto profectum est vt cõstituantur pii præfecti, hostes auaritiæ.

6 Communicet autem qui instituitur in sermone ei qui se instituit, omnia bona.

7 Ne fallimini, Deus nõ irridetur, quicquid

quid enim seminauerit homo, hoc & metet.

In præcepto quarto mandatum est vt ministerium & scholæ conseruentur. Scimus nihil esse miserius vita humana, si sit absque cognitione Dei. Ergo ministerium & scholas vult conseruari Deus. Etsi autem nihil in mundo sit, quo cõpensare possimus doctrinam salutis & vitæ æternæ, vt Petrus ait Ioan. 6. Domine tu habes verba vitæ æternæ. Tamen minimum ad præbendũ victum & sustentationem iis qui nobis salutis doctrinam proponunt, obligauit nos Dominus. Finis est, vt huic rei vacare possint, diligenter lectioni sacræ incumbere, ne distrahantur. Cõtrà omnibus temporibus hoc diaboli fuit artificiũ, vt ministri Sathanæ, id est, idololatriæ haberent satis: ministros autem Christi *auffhungerte*.

Primò obseruandum esse mandatum Dei, vt Ministri alantur, ita vt hospitales esse possint. 1. Cor. 9. 2. Cor. 9. 1. Tim. 3. Tit. 1. Secundo obseruandum, Si mandatum Dei est, vt de tuis bonis des, multò magis ex iis bonis dandum, quæ iam Ecclesiæ sunt.

Cogita, si Deus non reliquisset spolia ex papatu, annon alerentur hodie ministri? nisi, inquam, suppeterent ea, quæ sunt veluti spolia Ægyptiaca? Ægrè huc accedit quòd tempora in dies fiũt difficiliora. Ergo ex bonis Ecclesiæ, monasteriis, stipendia non nimis tenuia sunt cõstituenda. Verbum Dei vult, vt ex nostris bonis ministros honestè cum familiis alamus. Quam ergo excusationem habebimus, si ex iis quæ iam data sunt non communicauerimus?

I. Obiectio. Non habemus mandatum, dicunt
I. iij.

quæstores, vt defectum sarciamus. Respondeo 1. Habes mādātum Dei, 2. significa magistratui supremo. 2. Obiectio, At multi nō sunt digni. Respondeo, ij causa cognita sunt amouendi. stipendium autem constituendum, vt dignus possit in futurum ali

3. Obiectio. Apostoli non habuerunt stipēdia, Respondeo. Act. 27. Imò à diuitibus etiā in propria (vt ita dicam) persona deducti fuere.

Deus non irridetur.) Quia sciebat multa subterfugia fore, excusationes & irrisiones, respondet, Deus non patitur se irrideri. irridetur cū subtilitate & replicis vtimur, vt ministri egeant. Applica hoc ad omnia mādātā Dei, scito Deū subtilitate & dīcteriis nostris non irrideri.

Quicquid seminauerit homo, hoc & metet.) Omnes homines propter aliquem finē agunt. Agricola finis est messis. Auari messis est pecunia. Ambitiosi, magni honores in hoc mundo. Ergo omnes scopum habent, messem aliquam, etiam si in eorum sit confusionem & opprobrium. Sic autem comparata est terrena siue agraria sementis, vt qui hordeum seminat nō metat triticum. 1. Quid est seminare in carnem? Respondeo, Est huic mundo affixum esse & vitiis deditum: qui ita obrutescunt vt in hoc mundo hæreant, ij corruptionem metent. Contrā in spiritum seminare, est cogitationes & studia applicare ad alteram spiritualem & cęlestem vitam, atque ab hac sese abstrahere: Psal. 90.

Primò obseruandum. Ministri femināt, Ioan. 15. Vt labor vester maneat.

2. Omnes homines seminant. Amos 6. fructū iustitiæ

iustitiæ conuerterunt in absynthium.

3. Metent tandem, non emanabit. vide Ioã. 12.

8 *Nam qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum: qui verò seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam.*

1. Hic obseruanda promissio, nõ fore labores nostros inanes. Simile. Cùm pecuniam mutuam damus, cogitamus an sit vir bonus cui damus, an possit reddere. Cur igitur Deo non fidimus promittenti? Hæc doctrina & ad ministros & ad omnes homines pertinet, vt Ioan. 15. Ego vos posui vt fructum feratis, & vt fructus vester maneat. Sic omnibus fidelibus fructus fidei manebunt, & placent Deo, ipse depositum seruabit.

2. Sed an non videtur hinc bonis operibus salutem tribuere? Respondeo, Non, sed postquã per spiritum adoptati sumus, & certi salutis, promittit mercedem: Verùm non propter dignitatem operum, sed quia prius sumus filii & salui. Rom. 6. Stipendium quidem peccati mors, donum autem Dei vita æterna.

3. Ad perseuerantiam nos hortatur. Primùm quia breue est tempus. Ioan. 12. Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ deprehendant. Matth. 24. Quis igitur est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super famulitiũ suum, vt det illis alimentum in tempore? Beatus seruus ille, quem cùm venerit Dominus eius, inuenit eum ita facientem. Amen dico vobis, omnibus bonis suis præficiet eum. Quòd si dixerit seruus ille malus in corde suo, Tardat dominus meus aduentum, cœperitque verberare cõ-

feruos, quin etiam edere & bibere cum ebriis, veniet dominus serui illius die quo nō expectat, & hora qua non nouit, & dissecabit eum, ac partem ei assignabit cum hypocritis.

Deinde à fructu, qui etsi differatur, tamen cogitemus quanta res sit fructus æternus: *das mir nit mat vverden*. Perseuerantiam hanc dabit Dominus.

9 *Porro ne benefaciendo segnescamus. tempore enim suo metemus, si non elanguerimus.*

Primò ait obligatos nos esse omnibus hominibus, quia caro nostra sunt, & ad imaginē Dei conditi. Isa. 58. Carnem tuam ne despexeris. Dices, Non noui eum: At secum adfert signum impressum, vnde eū nosse debes, quia caro tua est. Et natura hoc docet. Nam si in extrema necessitate in summum morbum cadat maximè peregrinus, condoles, & accurrunt qui leuent eum. Adhæc Matth. 5. ait Christus: Si iis tantùm benefacimus qui nobis benefaciunt, quid meliores sumus Ethnicis & Publicanis? Qui lucrū mutuū finem habet, non facit vt Deo seruiat. Ergo omnibus obligati sumus.

10 *Nempe igitur dum tempus habemus simus benefici erga omnes, maximè verò erga domesticos fidei.*

Ecclesia confertur domui, in qua pater præsens est, 1. Tim. 3. Ecclesia est domus Dei viuentis. 2. Cor. 6. Ero vobis in patrē, & eritis mihi in filios & filias. Habitabo in eis & ambulabo in eis. Est quidē inter vnius vrbs homines amicitia maior inter vicinos, maxima inter domesticos.

Itaque

Itaque duplex vinculum inter fideles, primū naturale: alterum adoptionis, quòd eundem Patrem inuocant, qui in medio eorū habitat. Quanta res est summam illam maiestatem, coram qua tremunt Angeli, vno ore Patrem inuocare? *undt sol doch so vvenig trevv vnder vns sein.*

11 V detis quàm longis literis vobis scripserim mea manu.

Romani Cæsares, Augustus, Tyberius, libertatem secundum Iudaicam religionē viuendi concesserant Iudæis in toto imperio. Iam si quis circuncisus esset non patiebatur persecutionem vt Christianus, sed ferebatur vt Iudæus. Scopum itaque pseudoapostolorum declarant verba apostoli dum ait, Ob crucem, id est, fidem in mortē Christi. Applicatio. Sic hodie ne à Papistis persecutionem patiantur, quidam vellēt quandā Missam Germanicam & sub vtraque specie.

Respondeo. At illi in Circuncisione partem salutis ponebant, non in sola cruce Christi, sic hi volunt habere Deum Missaticum, non contenti vna passione Christi.

12 Quicumque volunt speciosi apparere in carne, hi cogunt vos circuncidi, tantum ne ob crucem Christi persecutionem patiantur.

13 Nam ne ipsi quidē qui circuncidūtur Legem seruant: sed volunt vos circuncidi, vt de vestra carne glorientur.

14 A me vero absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quam mundus mihi crucifixus est: & ego mundo,

15 *Nam in Christo Iesu neque Circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed noua creatura.*

16 *Et quicumque secundum hanc regulam incedent pax erit super eos & misericordia & super Israelem Dei.*

17 *De cætero ne quis mihi molestias exhibeto: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.*

18 *Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum spiritu vestro, fratres. Amen.*

Vvan dan die fuchse so klug sein das sie scheuen die verfolgung umb des creutzes Christi vvilten, vvas sollen dan neuve prediger thun?

Respondeo. Contra hanc tentationem opponant concionatores hanc veram consolationem qui per solam crucem siue passionem Christi, & nõ per externos ritus aut vlla opera iustificari nos docent, quòd scilicet quemadmodum impossibile fuit Herodi & Pontio Pilato plus efficere in passione Christi, quàm quod manus & consilium Dei decreuerat: ita etiam impossibile sit iis qui prædicant Christum crucifixum, atque adeò omnibus Christi membris plus euenire, quàm quod ab æterno manus & consilium Dei decreuerint.

Argumentum certissimum, Act. 4. Herodes & Pontius Pilatus & Pharisei & Israel conueniunt ad faciendum ea, quæ manus & consilium tuum decreuerat, &c. Et argumentum Pauli ad Roman. 8. Elegit & ordinavit nos vt geramus imaginem

imaginem Filii Dei. Ergo quemadmodum passio Christi crucifixi ab æterno decreta fuit, ita & nostræ afflictiones.

2. Obserua falsorum ministrorum signa. 1. in doctrina semper admiscunt aliquid passioni Christi. 2. vrgent cæremonias quasdam Iudaicas vel Papisticas, cum tamen ipsi totam Legem vel Papismum non seruent. 3. volunt placere secundum faciem. 4. fugiunt persecutionem ob confessionem crucis, & passionis Christi. Contraria signa verorum ministrorum per eosdem gradus deducantur.


Applicemus porrò hæc ad nostrum vsum. Falsi prophetæ hodie in Papatu vident sua probra detecta. Mediatores igitur quidam se proferunt qui impetrent Sacramentum sub vtraque specie, & matrimonium Sacerdotum. Hoc plausible est Germanis, vt Iudæis Circuncisio, ne tãquam Christiani paterentur persecutionem.

Primò videamus sub qua conditione concedat Antichristus sub vtraque specie. Respondeo vt totum Papatum approbes, iustificationem abneges, sanctos inuoces, panẽ adores pro Deo. Sicut circuncisio approbatio erat totius Iudaismi, qui tamen abrogatus erat passione Christi. Simile: Papa honorat Christũ cõcedendo vtranque speciẽ, & interim totam idololatricam Missam stabilit: vt Iudæi flectebant genua illudẽtes Christo, Salue rex Iudæorum. Hic erat honor Regi debitus: interim pugnis faciẽ eius cædebãt. Idẽ facit Papa & hi mediatores. Scribitur in Apocalypsi: Bestiã vulneratam ad mortẽ reuixisse. Hoc fortẽ implebitur, & calice fornicationis suę

meretrix inebriat Reges terræ. An etiã sit Sacramentum vt Papa vult concedere. Primò de Circuncisione dicamus ex textu. Ea non erat Sacramentum, sed idolũ. Ponebant enim in ea fiduciam iustificationis. 2. obscurabat solam passionẽ Christi. 3. Approbatio erat totius Iudaismi. Sic maius etiamnum idolũ Cœna sub vtraque (vt hi vocant) specie. Primo, non solùm fiduciam in ea collocant, sed adorant pro Deo. Vocabulũ species id declarat. Simile. Siquis noctu incedat, videat vmbra, & putet hominem esse armatum, postea animaduertit tantũ specieẽ fuisse. Ita & panis specieẽ esse aiunt, sed Deum intus. Ergo Papistarũ Cœna sub vtraque specie est idololatria duplex. Antea vnum idolũ, iam duo habebũt. At qui eadẽ res non potest esse simul idolum & Sacramentum, vt serpens æneus cùm esset Sacramentum, non erat idolum. Et postea cùm idolũ fieret, nõ erat sacramentum, sed confringebatur à Rege. 2. Vtraque species hoc cõsilio concedatur, vt non sola passione iustificentur credentes, sed Missa, vt olim Circuncisione: & sic abnegant crucem Christi, 3. Vtraque species, approbatio est totius Papatus, vt olim Circuncisio. Nã hac conditione porrigitur. Vide 1. Cor. 10. de *κοινωνία* dæmonũ. *ειδὸς* speciem significat, vnde idolũ deriuatur, quia idolum speciem tantũ diuinitatis habet, quum nihil diuini insit. Iam sub vtraq; specie (vt hi mediatores volunt in Missa) est sub vtroque idolo.


FINIS.













i N

ISTOLAM
AVLI APOST.

Galatas notæ, ex concio-
us Gasparis Oleuiani ex-
otæ, & à Theodoro Beza
æ.

prefatione eiusdem Beza:



GENEVA,
D EVSTATH. VIGNON.
M. D. LXX XI.

*ynatiss. Viro, Pa. Andreae Nonio amico suo ca-
rissimo ddi Paulus Crocus Cyrensis, pridie
Nonas Iunij Anno salutis LXX XI.*

21

